Cuculus Caluinisticus,

SIVE

DE GRATITVDINE ET MODESTIA Caluiniana, aduersus blasphemam Ioannis Iacobi Grynæi Apologiam,

WILHELMI HOLDERI commonefactio.

CVCVLI DEPLVMIS PAVLINA descriptio, 2. Timoth. 3.

Hoc autem scito, quòd in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine pace, Criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, cæci, voluptatum amatores magis quàm Dei, habentes SPECIEM quidem PIETATIS, virtutem autem eius abnegantes, & hos deuita.

TVBINGÆ
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
M. D. LXXXV.

AD PIVM ET CHRI-stianum Lectorem.

CANDIDE LECTOR, VIDEBOR TIBI fortasse hac mea commonefactione fuisse paulò vehementior: Verùm per candidum tuum pectus te obtestor, Antagonistæ Apologiam, imò non Apologiam, neq; enim istud à te petere ausim, his stercoribus vt te commacules, sed primam quamq; obuiam eius paginam, vel inspicere duntaxat digneris, confirmo tibi, futurum planè, vt lenius etiam quàm par sit, me fricuisse dicas, tam sordidum caput est.

Etenim si conuicia, quibus hic ager seu flosculis quibusdam exornatus ridet, tanquam dentes putridos ex ore fœtido, eximas, vix quicquam eius, crede mihi, feceris reliquum, vt de hoc idem quod Theocritus Chius de Anaximene, dici possit, VERBORVM FLVMEN MENTIS GVTTA, adeò arida & ieiuna est hæc Apologia. Et nisi me meus fallit animus, idem eueniet tibi, quod cuidam, qui cum luscíniam intento gutture canentem audisset quidem, vidisset autem nunquam, capi eam, si posset, voluit: quo facto, cùm deplumatæ exiguum conspexisset corpusculum, ridens dixit: Vox es, & nihil præterea. Ita Apologia hæc rerum & neruorum nihil habet, sed inanis vox est, & nihil amplius, vox, inquam, non luscíniæ, sed cuculi impij & ingrati: impij in Deum, ingrati in benemeritos. Vale.

PRAE-

BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
Biblioteka w Toruniu
Ob. 6. II. 3068

PRÆFATIVNCVLA.

PRODIIT IN PVBLICVM DIEBVS SVPE-rioribus infœlix liber, Apologia breuis est nomen eius, tenuis certè & nimis breuis, si res spectes, quas paucas attigit tantùm, plerasq; surda aure pręteriit. Si verò conuicia eorumq; momenta expendas, opus profectò Iliade prolixius, lectori verò multò quàm sit fumus oculis, molestius. Etsi autem infœlicis eius partus, parẽs lõgè infœlicior, sese scriptorum Melanthonis amantissimum semper fuisse, profiteatur, istud tamen nobis vix, & ne vix quidem persuaserit. Extat enim inter cætera eius viri opuscula, de Cuculi ingratitudine declamatiuncula, quam si ille vel per transennam aspexisset, ad tam pudendam impudentiam vsq; nunquam progressa esset eius oratio. Etenim Apologiam eius vel obiter intuenti, mox in ipso limine apparet, ita eum dicendi rationes instituisse, vt summo conatu cuculum, non solùm ad viuum exprimere, sed certare etiam cum eo, de impietate, atq; ceu Hercules alter, vel Achilles quispiam, superare illius ingratitudinem, velis remisq; contenderit. Ea de re, dum paucis quædam in Cuculi illius gratiam dixero, (quo vt alij in speculo, si qua faciei labes insit, ita Cuculus in Cuculo, quantam sibi ipsi inusserit maculam, contempletur) quęso te pie lector, vt me audias benignè.

Timiditas Cuculi.

CAP. I.

Plin. lib. 10. cap. 9.

CVCVLVS AVIVM NON EST minima, sed timida, adeò etiam, vt quauis vmbra exterrita, latebras circumspiciat, vt haud immeritò Plinio trepidum animal appelletur. Sed quàm metuit sibi hic noster Cuculus? quàm trepidat totus? quàm expauescit? vt non tam fures lucem, aut columbæ accipitrem, qui tamen inter cuculos, ceu inter aues reliquas Struthiocamelus, eminet. Cùm enim Epeo timidior, disputationem aggressus esset, nostros reformidans, suis tantùm locum dare instituerat, quibus etiam ipse argumenta subministrasse creditur, tùm vt præuisa tela ferirent minus, tùm vt figmentum suum oppugnans ipse, vinceret facilius. Sed dolum cùm animaduertisset Princeps Illustrissimus, vt nostris disputandi copia fieret, per Tossanum clara voce admonuit. Quod cùm præter expectationem illi accidisset, alia, quam metus illi ostendit, rem aggressus est via. Nostris, etsi inuitus, conferendi potestatem fecit, sed quos præ cæteris timebat, eos longè submouit, inter quos fuit D. Patiens p. m. cui, vt disputandi copiam faceret, quòd suis etiam sumptibus ideo illuc accessisset, nullis precibus, nullis intercessionibus, obtineri ab eo potuit, & sic quidem pugnauit cominus.

Eminus autem multò maiorem formidinis significationem dedit. Cùm enim facilè sibi persuaderet, fore, vt quos publica disputatione perstrinxisset acerbius, nõ edentulos sensurus esset, quod pudor ingenuus prohibere debebat, metus eum facere coëgit. Accedit Senatum Basilienſis Academiæ prudentissimum: petit, instat, vrget, & tandem extorquet Epistolam intercessoriam, qua id se

id se consequuturum sperabat, ne quisquam etiam eminus Disputationis rationem exigere auderet, vt reliquis omnibus silentio iniuncto solus ipse, ceu Strabus inter cæcos, regnum posideret.

Atqui, cùm nec hac successisset via, vix credas in quanto versetur metu, vt timidum Plutum verè dicere possis. Interdum enim de nudis symbolis calumniam esse exclamat, & inter nos consensum fingit. Nunc opinionis suæ fundamentum, & basin adamantinam, verba institutionis quoq; esse, ait, & nos conseruos vocat. Paulò pòst de omnipotentia, (inquit) veritate, omnipræsentia & adoratione Christi, dubitare nefas est. Tandem trepidante conscientia, quascunq; conditiones proponit, & nunc sacrum silentium vltrò offert, iam verò tantùm non in genua procumbens, hanc postremam Apologiam futuram, demisse admodum pollicetur. Vides ne, in quanto sit constitutus discrimine noster Cuculus? Intelligis ne, in quantis versetur angustijs Heros ceruinus? cui omnis in fuga salus, vt ceruo in pedibus, est posita.

Membris pauor ingruit ingens
Omnibus, inq; pedes animus mox decidit imos.

Verùm si eo loco res tuæ sunt mi Cucule, & Timonis ficus excisa sit, certè absq; baculo (quod aiunt) ne ingreditor, donec vel portum videas, vel in tranquillum tua deducta nauis sit. Sed quare mi Cucule, & quid ita? quis nam eum tibi injicit scrupulum, vt trepides ante tubam, vt hastam abijcias, vix dum conspecto hoste? Nimirum, ingentem tuum fastum, his quasi habenis, moderari Dominus voluit, nam vt verè ille dixit, ne lacesset fortuna, metus est, quo semel recepto, solida fœlicitas non est. Psal 66.

Atqui cùm metus in virum constantem vix cadat, & Hieronymo teste, metuere paruulorum sit, non Heroum, vicissim autem nullum maius bonum Augustino affirmante, quàm posse sine metu viuere, age, animum recipe miser, nam adhuc cœlum voluitur, & meum audi consilium: Cuculus es, igitur Tubingam ocyus aduola, vt De lib. Arbit. cap. 4. lib. 1.

ibi studijs tuis amplius confirmatis, quid porrò credere & profiteri velis, tecum ipse constanter decernas prius, quàm quouis doctrinæ vento, ceu arborum folia circumactus, docere velis alios, in quo hactenus hæsites ipse.

Astutia Cuculi.

CAP. II.

CVculus timidus quidem est, sed astutus: & notum est prouerbium: Coccycis astutia. Nam, vt ij, qui de natura animalium scripserunt, prodidêre, cùm sciat se cunctis auibus inuisum, nullum facit nidum ipse, sed in alienis parit semper, carrucæ præsertim, aut etiam palumbium. Neq; enim (ait Plinius) satis tutam generi suo stirpem opinatur, nisi ad eum modum fefellerit.

Plin. lib. 10. cap. 9.

Eadem prorsus est Cuculi nostri natura & ingenium: Cùm enim bonis & pijs omnibus, inuisum dogma suum sciret, magis etiam quàm olim Romanis Vatinium, nec sibi, nec Caluiniano generi suo satis tutum arbitratur, ni fefellerit. Hinc adeo primùm causæ statum astutissimè dissimulat, & an corpus Christi in pane latitet, vel in pane occultatum sit, de eo controuersiam esse, malitiosè affirmat. Deinde de figmento vbiquitario tantùm inter partes contentionem esse, sine fronte asserit. Tandem de Capernaitica manducatione disceptari, quòd nos corpus Christi sensualiter manducari, & dentibus atteri, doceamus, fingere ipsum nihil pudet. Sed non ita est Cucule, nam de eo quæritur, an ne corpus Christi, tam procul à pane Eucharistiæ absit, quantum à terra distat summum & altissimum cœlum?

Huic alterum dolum subnectit Cuculus, argumenta, dogmatì eius impio opposita, qua est humanitate, assumit, sed formâ de industria, & ex composito vitiosa. Deinde vt elabi possit, non ad rem ipsam respondet, sed iuueniliter exultãs, quasi qui gallinaceũ lac reperit,

perit, exclamat: Hæc eſt petitio principij: Hæc eſt fallacia Accidentis: Hîc plus eſt in concluſione, quàm fuit in præmiſſis, & ſimilia: quibus addit: Pertrahantur argumenta ad ſuas fallacias, ſicut fugitiua mancipia ad ſuos heros. Atqui ô Cucule, hi tui coccyſmi ſunt, hæc tua mancipia: ſi quid ineſt vitij, in te vitium eſt, qui argumentum formas, quale ne per febrim quidem nos vnquam ſomniauimus, tu iſtorum mancipiorum herus es, ad tuum enim nutum aiunt, & negant, nobis hîc neq; ſeritur, neq; metitur, quod in progreſſu fortè pluribus oſtendemus.

Vtitur præterea & tali fraude: argumenta pleraq;, quòd reſpondere non poſſet, quaſi nec viſa ſibi, nec audita eſſent, ſicco pede tranſit. Interim autem ne ſtatua videri poſſit, de rebus friuolis & impertinentibus, prolixas declamationes interſerit, quas, omnis generis atrociſſimis conuicijs & contumelijs ita illuſtrat, vt Cratetem Cynicum magis, quàm eruditum & modeſtum Theologum repræſentare videatur. Is enim, cùm Stilponi Philoſopho, reſpondere amplius non poſſet, ventris emiſit crepitum: Cui Stilpo: ſciebam, inquit, te quamuis vocem emiſſurum potius, quàm eam, quæ ad rem faceret.

Eſt & hic illius aſtus, cùm aliquis ipſius error, quatuor & pluribus etiam argumentis, refutatus eſt, ille quod minimi momenti ipſi videtur, arripit, cætera ſtrenuè diſſimulat, atq; ceu Vlyſſes alter, auribus cera obturatis, Sirenum inſulas præternauigat, in eo autem, quod exagitandum ſumpſit, ita indulget ſibi ipſe, vt ne quidem Germano ſuo tantum largiturus fuiſſet Mitio. Egregium verò facinus, Hercule & Hectore dignum, poſſe retia tendere imperitis, & fucum facere ſimplicioribus. Quare, non cogitant, ſi habet Ithaca aſtutum Vlyſſem, fortè habebit & ſuum Palamedem, niſi omnes nos truncos & ſtipides credant, qui nihil horum poſſimus animaduertere.

Hic nimirum Caluiniſtarum candor eſt, hæc Cuculorum ingenuitas,

genuitas, his artibus, dolis scilicet & fraudibus, nos circumuentos, tanquam peculiaribus suis machinis, oppugnant. Sed audite ô Cuculi, paucis me expediam. Si hoc pium est & candidum, si ingenui pudoris argumentum est, & sinceri animi, agite ô viri, dabitur nobis porrò opera, vt intelligatis, esse & Romanis suum Hannibalem.

Ambitio & fastus Cuculi.

CAP. III.

CVculus etiam Musices laudem affectat, & cantus suauitate auium cedit nemini, ne Philomelæ quidem. Eam enim vbi audit, mox aduolat, & cantu illius excitatus, non solùm certamen audaculus cum ea ingreditur, sed & ingeminatis & repetitis ad fastidium vsq; coccysmis suis, viciſſe eam, & vocis suauitate longè superiorem esse, stultè sibi persuadet. Sed maior etiam Cuculi nostri fastus est, & pernicioſior persuasio. Hic enim cum Præceptore quoq; suo stolidè congressus, ita eum pietate, doctrina & modestia superauit scilicet, vt encomium canens, Præceptorem suum, hominem agrestem, tetricum, indoctum, atq; adeò asinum, siue Caballum Cumanum dicere ausit, à quo quid discere quis posſit, ait, cùm ipſi fontes sitiant.

Istam verò prætumidam arrogantiam Cuculi eò minus mirmur, quòd ad eundem propè modum, de alijs præclaris Eccleſiæ D.
Pag. 61. Apolog. *luminibus, magno, sed impio & inepto supercilio pronunciet. Postquam enim D. Lutherum cum Oecolampadio conferre instituiſſet, ait: Etsi Lutherus eloquentia in sermone vernaculo, &c. insignis fuit, tamen & doctrina, & Antiquitatis Eccleſiasticæ cognitione, trilingui eruditione, & modestia etiam, illo multò superior fuit Oecolampadius. De Bucero autem affirmat, vnam pagellam commentariorum eius, vel in Euangelium, vel in Epiſtolam ad*
Ibidem.

lam ad Romanos, plus habere ſolidæ, ſeuerioris & confertæ doctri- «
næ, quàm ternionem in pluribus D. Lutheri ſcriptis. De alijs in «
ſpecie quid ſentiat non dicam, vt quando ſcribit: Nec hic mihi planè Pag 80.
ignotus eſt: Et: Nec is mihi cæteris, qui argumentati ſunt, do- «
ctior vnquam viſus eſt, & ſimilia, quid de vniuerſis & ſingulis
pronunciet, quomodo vno faſce omnes complexus, inſcitiæ & ru-
ditatis accuſet, audiamus. Nullum (inquit) in Diſputatione ad-
ductum fuit argumentum, (nullum inquit) ideo ad nullum mihi " Pag. 22. Apol.
fuit reſpondendum, niſi fortè Sophismata argumenta ſint, quæ
tamen adeò pueriliter, adeò infœliciter, & plerunque ex ſcripto
recitata ſunt, vt in auditorum gratiam, formanda reſpondenti
fuerint. Et rurſus: In publico Diſputationum congreſſu, omißis Pag. 40.
iuuenibus, vt iuſſus fueram, Doctores aliquot Theologos aman- «
ter hortatus ſum, vt eruditè argumentarentur & placidè. Sed hos «
deteriora, minusque ſpecioſa, quàm ab ipſorum diſcipulis adducta «
erant, adduxiſſe, poſtea comperi. Et alibi. «

Pag. 71.

Vicerunt inquit, multi vnum, ſed Paralogiſmis, Solœciſ- «
mis, Barbariſmis, Paſquillis, conuicijs, dicacitate, longis logis, «
reprehenſione viuorum, & inſectatione mortuorum. De ſeipſo au- " Pag. 71.
tem dicit, etiam aliorum teſtimonio, ſeſe veritatem modeſtè ex- " Pag. 76.
poſuiſſe & demonſtraſſe. Et: Ex actis publicis, quid ipſe, & quo- «
modo præſtiterit, cognoſci poſſe, & ſexcenta alia.

Hæc nimirum Caluiniſtarum modeſtia eſt. Oro autem te lector humaniſſime, an non agnoſcis Cuculi cantum, coccyſmis ſuis ſibi ipſi applaudentis plurimum? vides ne ingredientem ſummis vnguibus? intelligis ne, quomodo extenſis commotisque alis, ipſum cælum territaſſe, ſibi videatur? Et quomodo tibi placet hic Theologus, qui ſibi ipſi ita placet, vt non tam Peleus in Machæra. Atqui quàm iniquè comparatum eſt?

Olim tritum erat illud: Loquente auro, nihil pollet cuiusquam oratio, sed hodie aliter res habet, & coccysante quouis Cuculo, nihil pollet cuiusquam eruditio, res tantò indignior, quantò stolidus Cuculus precioso auro est inferior. Quàm verè dixit Hieronymus: Arrogantiâ difficiliùs caremus, quàm auro & gemmis? Planè enim mihi persuadeo, Cuculum hunc, eruditionis vmbram, nec auro nec gemmis, etsi posset, cuiquam venditurum. Vsque adeò verum experimur illud Chrysostimi: Facit arrogantia, vt homo ignoret etiam seipsum, ita enim ex fastu venter Cuculo intumuit, vt nec videre, nec nosse seipsum amplius possit. Sed vt ad te redeam, mi Cucule, rogo te per eruditionem tuam, omnibus numeris absolutissimam, ne ita tollas cristas, quasi verò non norimus nos inter nos. Ne quæso pennas nido maiores, vsque extendas, sed redi ad te ipse, & tecum habita, metire te tuo pede, & pone ingens supercilium, neque enim (ne erres) digito cœlum attingis. Da ergo operam, ne quid nimis, & ad aliorum te demitte mediocritatem: video sanè pulmones tibi plurimum intumuisse, vt periculum sit, ne fastu suffoceris, sed si obtemperare velis, nec Hippocrate, nec Theophrasto opus erit, vmbram duntaxat metire tuam, & deprehendes eundem te esse Cuculum ambitiosum, qui semper, vtcunque amplius etiam nunc pulmones turgeant. Vel Epaminondam ducem Thebanum tibi ob oculos pone. Is enim cùm fœliciter in Leuctris pugnasset, postridie tamen, squalidus, contrà ac soleret, in publicum progressus est. Amicis verò sciscitantibus, quid nam molesti accidisset? respondit, nihil sanè: Sed heri sensi me plus æquo ob victoriam mihi placuisse, cuius gaudij intemperantiam hodie castigo, quòd si sic ille, victor, quantò magis tu, qui adeò infœliciter pugnasti, te ipsum cohibebis. Cogita illud Salomonis: „ Laudet te alienus, & non os tuum, extraneus & non labia tua. Et „ illud Apostoli: Ne sitis prudentes apud vosmetipsos, non arro-

Hieron. Reg. Mon. de virt. Humil.

Chrisost. ser. de Osia.

Sal. prouerb. 27 Rom. 12.

ganter

ganter de vobis ipsis sentientes. Ne quis arroganter de se sentiat, sed ita sentiat, vt modestus sit & sobrius, & similia. Considera illud antiquæ vetustatis, cuius adeo studiosus vis videri. Graue vulnus est arrogantia, inquit Chrysostomus: & rursus: Omnium vitiorum fons, & mater omnis mali est fastus. Ille idem, quam sedulò te monuit, vt omnium postremus (postremus ait non primus) esse velis, etiamsi ad ipsum eruditionis & virtutum culmen conscenderis. Et vt alia omittam, nemo Apelles te melius pinxisset, quàm is ipse his verbis: Nihil certè arrogantiâ peius atque superbiâ, quæ mentis quoque vires, natura hominibus concessas, ita deijcit, vt amentes ex prudentibus, & animo stolidos efficere videatur.

Chrysostomus. De profectu Euangelij.

" Ser de Osia. Hom. de profe. Euan. Chrysost. Matth. cap. 18.

Quemadmodum enim si quis statura cubitus sit, instar montium tamen, imò altiorem etiam se putat, & ideo seipsum quasi montes excessurus, erigat, nullũ aliud insaniæ eius argumentũ quæreremus: Sic cùm inflatum videris hominem, qui meliorem se cæteris arbitratur, contemniq́ue se opinatur, si cæteris hominibus conferatur, nullum iam aliud signum vecordiæ hominis exquiras. Tantò quippe ridiculosior est ijs, qui natura insaniunt, quantò ipse sponte hunc morbum sibi iniecit. Hæc mi Cucule, si tecum paulò perpenderis altius, nihil vltra peram sapies, nec vt soles, posthac gloriaberis, quasi aut Ilium expugnâris, aut Argiuum Clypeum abstuleris.

Scabies Cuculi.

CAP. IIII.

CVculus etiam scabiosus est, hinc Germanis natum prouerbium: Cuculo scabiosior, ita eum ceu ignominia quadam ob-

impietatem natura notatum voluit. Etsi autem ab omni scabie sese alienissimum velit noster Cuculus, tamen quouis alio miserior est. Neq; enim vt cæteri vna tantùm, sed varia & multiplici, eaq; contumaci & penè incurabili laborat.

Scabies Caluinistica.

Pag 72. Pag 53. *INiquissimo sanè fert animo Cuculus, Cinglianum se dici, & Christianus sum inquit, à Christo Iesu capite denominandus. Atqui mirum nobis est, cùm Iesuitas tantoperè commendet, non Iesuitam sese in ipsorum gratiam dici voluisse. Sed audi mi Cucule, si Cuculus non es, quare coccysas? Quare nobis per calumniam consubstantiationem tribuis? Quare in verbis Cœnæ Metonymiam fingis? Quare signo nomen solum rei significatæ tribuis? Quare doctrinam nostram de Cœna Domini, pestilens fermentum dicis? Quare nos Capernaiticam, sensualem, & qua dentibus corpus Christi teratur, manducationem docere, impudenter scribis? Quare doctrinam nostram de Cœna Domini figmentum vbiquisticum, vbiquitariam chimæram, ementitam vbiquitatem, pro candore tuo appellas? Quare tandem Dauæi illius impurissimi impietatem de Christi adoratione, siue excusare, siue palliare conaris? Et vt vno verbo dicam, quare Christianum te dicis, & Christo contradicis, vt Augustinus olim de Donatistis scripsit? Ex his nimirum vel cæco etiam satis apparet, quo loco sint res tuæ, & qui his indicijs scabiem tuam non animaduertit, nescio an sacerdotis officio ritè fungi queat.*

Augustin. Epist. 171.

Scabies Anabaptistica.

HAnc verò luem duplici ratione eluere nititur. Primò conuitiando, nam Præceptorem suum hominem miserum, mancipium

cipium, & qui corymbos tantùm nectat, cui etiam per salutem animæ suæ iuranti, nemo cordatus fidem habeat, piè calumniatur. Sed cum conuiciari, & & ad rem respondere, plurimum differant, nos suo autori conuicia reddimus, atq; ne ingrati videamur, illud Hieronymi superaddimus: potius vitam tuam ordinare disce, quàm carpere alienam. Et ad alteram responsionis eius partem accedimus, qua dicit: Si Anabaptistis aliquid affirmantibus fides habenda est, tum verò maxima pars Theologiæ tuæ periclitatur. Eruditum verò responsum, de cæpis quæritur, & de allijs respondetur. Neq; enim, an confessio & doctrina Anabaptistarum vera, hoc est, verbo Dei consentanea sit, quæstio est, sed an hæc ipsorum doctrina verè sit, quam tum professi, & vobiscum per omnia de Cœna Domini consentire se, confessi sunt, ita vt ne verbo vnico illam vestram oppugnarint. Quod vt lector cognoscere certius possit, pagellam illam, vnica enim tantùm est, inspiciat, & ex mutuis Cuculorum vtrinq; æditis Coccysmis, nos nihil finxisse deprehendet.

Pag 62.

Hieron. ad Cesian.

" Pag. 62.
"

Colloquium Franckentalense.

Scabies Stenckfeldica.

QVanquam autem doctrinæ Anapabtistarum & Stenckfeldianorum de Cœna Domini tanta sit cognatio, vt ne ipse quidem Argus discrimen videre possit, tamen vel ex abundanti Cuculo demonstratum fuit, coccysmos quarundam eius Thesium, prorsus Stenckfeldij cantum referre. Cùm autem nihil ne in speciem quidem, quod opponat, habeat, & verò tacens consentire non immeritò videatur, quomodo à prurigine illa liberare se porrò velit, ipse viderit. Neque enim sacrum silentium prætexere ei licet, cùm non ignoret illud Hieronymi: Nolo quenquam in suspicione hæreseos patientem esse, ne apud nos, qui ignorant innocentiam eius, dissimulatio, conscientia iudicetur, si taceat.

Hieron ad Pam.
"
"

Lepra Ariana.

QVòd Tropis omnia compleret Cuculus, & prædicationes de Filio Dei non inuſitatas, ſed partim proprias, partim figuratas diceret, admonitus fuit, ne tandem Arianiſmum profiteretur. Dupliciter itaq; reſpondet: primò confeßionem de Diuinitate
Pag. 82. Filij Dei Ieſu Chriſti ſynceram, vtinam ſyncero corde, opponit, ſed de eo ipſe viderit, de illius enim potißimum corio luditur. Deinde verò ſtolidum Enthymema eſſe ait, ipſe Terebintho ſtolidior. Verum enim atq; adeò nimis verum eſſe, cùm alia plurima, tum gregalium eius, Syluani & Neuſeri funeſta exempla loquuntur.
Pag. 83. Nam quòd fratris ſui Iſcariotis (qui itidem vt ipſe Magiſtrum & Præceptorem ingrato & impio ore prodidit) exemplo infœlici tueri ſe conatur, nihil promouet. Etenim vt illud præteream, ſcelus id fuiſſe, non in doctrina errorem aliquem, de quo nobis ſermo eſt, iſtud ſi poteſt, probet Cuculus ex doctrina Chriſti defluxiſſe, quòd
Pag. 83. peccauit Iudas. Sicut ne illud de Gribaldo huc pertinet, qui nec profeßione Theologus, nec noſtros audiuit, ſed & hanc & Caluinianam lepram ſecum Tubingam à veſtris proculdubio acceptam attulit, ad quos etiam poſtquam clanculum & inſalutato hoſpite Tubinga diſceßiſſet, confugiſſe, conſtans fama fuit. Illi autem de quibus diximus, à Caluiniſmo ad Arianiſmum, & ab hoc ad Mahumetiſmum etiam alter, tanquam per gradus conſcendit. Quod vbi miſer tandem agnoſceret, publicè teſtatus eſt, cùm hæc ſua manu ſcripſiſſet: Quicunq; vult cauere Arianiſmum, caueat
„ Caluiniſmum.

„

Neq; verò ſoli Tropi veſtri ſollicitos nos faciunt, ſed quòd arma nobis noſtra, è manibus à vobis extorqueri, & Arianis ſubminiſtrari etiam, proh dolor, videamus.

Etenim præcipuas de æterna Filij Dei Diuinitate ſacræ ſcriptu-

ræ

pturæ sententias ita eneruarunt interpretes vestri, vt non solùm vti nunc ijs hostes Ariani commodè possint, sed & hoc nomine nobis plurimum insultent, vobis interea in sinum effusè ridentibus. Et ne de alijs plura dicam, cùm exempla obuia vbiq; sint. Tu, tu inquam, ô Cucule, dictum Christi: Pater maior me est, pro publica lectione de diuinitate Filij Dei interpretatus es, quòd si ratione diuinitatis, Pater & Filius differunt vt maius & minus (quocunque prætextu vtaris) quàm procul ab Arianismo absis, qui non videt, Tiresia cæcior est. Non ignoro quo Præceptore ista didiceris, sed quare ab Orthodoxo vetustatis consensu, vos tanti Antiquitatis heluones turpiter dissidetis, quibus cum Arianis quòd res esset, facilè quantum interesset, ne ad diuinitatem referri paterentur, animaduerterunt, quod sequentia perspicuè ostendunt.

Theophyl. cap. 14. in Ioan.

Dicent hæretici: secundum quid venit ad Patrem Christus? secundum quod Deus, vel secundum quod homo? Quia secundum quod Deus semper in cœlis erat, & inseparatus à Patre: secundum HVMANAM igitur NATVRAM maior eo dicitur esse Pater.

Athanasius Disputatione contra Arium.

Secundum id quod homo est, non solùm Patre, verùm etiam angelis minor est.

Cyryl. cap. 14. in Ioan.

Minorem Patre Filium, in quantũ homo factus est, credimus.

Augustin. Tractat 18. in Ioan.

Verbum caro factum est, & habitauit in nobis: Hac carne minor est Patre. Ita Pater & æqualis & maior: Æqualis Verbo, maior carne. Æqualis ei per quem fecit nos, maior eo, qui factus est propter nos.

Idem

Idem Tractat. 78. in Ioan.

Quid igitur hæretice, cùm Christus Deus sit & homo, loquitur
„ *vt homo, & iam calumniaris Deo? Ille in se naturam commen-*
„ *dat humanam, tu in illo audes deformare diuinam? Infidelis, in-*
„ *grate, ideo ne tu minuis eum qui fecit te, quia ille dicit, quòd sit fa-*
„ *ctus propter te? Æqualis enim Patri filius, per quem factus est*
„ *homo, vt minor esset Patre, factus est homo, quod nisi fieret, quid*
„ *esset homo?*

Ibidem.

„ *Ego & Pater vnum sumus. Vnum sunt secundum id quod*
„ *Deus erat Verbum: & maior est Patre, secundum id quod ver-*
„ *bum est factum caro. Vbi & hanc Cuculis admodum necessariam*
„ *admonitionem addit: Hoc (inquit ille) attendat Arianus, & hac*
„ *attentione sit sanus, ne contentione sit vanus, aut quod peius est,*
„ *insanus.*

Ex quibus omnibus manifestissimum esse puto, tanta scabie, & prurigine adeò incurabili infectum Cuculum, vt eam neque Rhenus, neque Danubius, nec ipse etiam Iordanis, etsi non septies tantùm, sed & septuagies septies in eo lauerit, abluere, nec Elisa ipse, si sua manu locum lepræ tangeret, sanare saniem istam possit.

Quæ cùm ita habeant, quotquot consultum sibi rectè volunt,
Hieron. cap. 5. ad Gal. „ *istud Hieronymi cogitent: Iuxta vulgare prouerbium, vnius pecu-*
„ *dis scabies totum gregem commaculat, igitur & scintilla statim,*
„ *vbi apparuerit, extinguenda est, & fermentum à massa vicina*
„ *semouendum, secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à cau-*
„ *lis ouium repellendum, ne tota domus, massa, corpus, & pe-*
„ *cora ardeat, corrumpatur, putrescat,*
intereat.

Cuculi

Cuculi impietas & ingratitudo.

CAPVT V.

VBi adoleuit impius & sceleratus Cuculus, nefariam rem audet, nam carrucam, qua incubante ipse natus est, à qua magna sedulitate nutritus, cuius etiam alis ab omni tempestatum iniuria protectus est, crudeliter laceratam, deuorat. Hanc pro nutritatione rependit vicem Cuculus, dignus profectò, quem natura perpetuâ scabie notatum signarit, & quem aues cæteræ tanquam portentum oderint atq; fugiant. Sed quid noster Cuculus? an non Cuculum ingratitudine æquat, impietate superat? Si enim sermo animi index est atq; character, si inquam coccysmi Cuculum, vt aures asinum produnt, ecce tibi discipuli in Præceptorem gratitudinis monumenta hæc atq; trophæa.

Conuiciorum series.

PRæceptorem suum ait esse calumniatorem, criminatorem, sophistam, hominem traditum in mentem reprobam, facientem quæ minimè facere conueniebat, oppletum inuidia, oppletum malignitate, superbum, glorioſum, contumelioſum, ſuſurronem, implacabilem, immiſericordem, inuentorem malorum, expertem charitatis, conſeruos ſuos hoſtiliter cædentem, viros grauiſſimos inhumaniſſimè traducentem, iniurijs ac mendacijs putidiſſimis alios deformantem, mortuos refodientem, defunctis maledicentem, pios Magiſtratus atrociſſimis contumelijs afficientem, fontem aquæ carentem, nebulam turbine agitatam, prætumidam vanitatem loquentem, per laſciuas carnis cupiditates alios ineſcantem, pios omnes maledictis proſcindentem, leonem plumbeum, cuius os luteum, vngues plumbei, Aſpidem, cui venenum ſub labijs. Tribuit ei criminationes, ſophiſmata, os falſiloquum, linguam fraudulentam, linguam vbiq; perambulantem in terra.

Scriptum Præceptoris ſui appellat calumnias, calumnias monſtroſas,

stroſas, ſagittas acutas, ſcriptum truculentiſsimum, carbones iuniperorum, & vt Spiritum lagenæ ſimul profundat, ipſum Sathanam, cui dicendum, increpet te Deus.

Et hoc quidem huius ſententiæ veſtibulum tantùm eſt, & nauis prora, in fundo quis nobis theſaurus erit? hæc titulus habet & programma, quid igitur in progreſſu de hoc conuiciatore nobis non pollicebimur, cuius in ingreſſu tanta eſt illiberalium conuiciorum liberalitas? Cretenſes, aiunt, Citharæ pulſu olim aggreſſos eſſe prælium cum hoſtibus. Etſi aũt hic noſter Cretenſis ſit, & in cæteris crotizet cum Cretenſibus, ipſi tamen certamen cũ Præceptore à conuicijs exordiri placuit, vt oſtẽderet, ſibi lingua bellare bellè propoſitũ.

Etſi autem eâdem ſemper oberrare chorda non eſt iucundum, tamen vel inuitis pergendum eſt.

Facit igitur Præceptorem, ſuum Cuculus, hoſtem, hoſtem infenſiſsimum, alios malè tractantem, alios ignominiæ exponentẽ, hominem verecundiæ fines dudum egreſſum, iniquiſsimis præiudicijs alios grauantem, odio & æmulatione ardentem, quæcunq; ſplendida bilis dictat, euomentem, vanitate tantùm & odio pugnantem, Chriſti nomen inuocantes hoſtiliter inſectantem, aliorum innocentiam falsò traducentem, ſibijpſi omnem fidem derogantem, hominem infœlicem, aduerſarium infeſtum, canem rabidum, hominem à quo nemo bonus non malit reprehendi quàm laudari, magnos viros hoſtiliter perſtringentem, multa falſa de alijs affirmantem, aliud in lingua promptum, aliud in pectore clauſum habentem, iuuenili ſimplicitate ſtudioſorum abutentem, hominem aditu difficilem, alieni honoris iniquum exactorem, qui domo plerunq; abſens, vbiquitatis beneficio conueniri non poſsit, hominem miſerum & infœlicem, cui nec ara nec fides, & tamen datæ fidei iniquum exprobratorem, hominem qui etiam inter pocula per ſalutem animæ ſuæ iurare frequenter auſit, hominem temerarium, vſq; adeò temerarium, vt nihil ſuprà, cuius temeritas per omnem Germaniam etiam lippis & tonſoribus nota ſit.

Mactę

Macte virtute puer, sic itur ad astra, & benè tu quidem facis Cucule, vt hoc potius quàm quocunq; alio gladio iugulandum Præceptorem credideris, esse enim hunc præ cæteris acutissimum Thearidas olim dixit. Qui cùm cote gladium acuisset, interrogatus tandem, nunquid acutus esset? respondit acutior quàm sit calumnia, sed progrediamur.

Bis vel ter quod pulchrum est, vulgò dicitur, ideò & Cuculus coccysare hoc modo pergit.

Præceptorem conuiciatur vt hominem importunum, hominem maledicum, Cacodæmonem, qui ad Senatum Basilienſem literas calumniatrices scripserit, cuius apud prudentes non maior sit, quàm alicuius agrestis & ebriosi sacrificuli in sequanis autoritas, qui vt inimicum confodiat, etiã amicis obesse non dubitet, Echinum intractabilem, canem intra putei angustias, Mephitim, Vulcanum, follem mendaciorum exhalantem, terræ Filium, hominẽ qui Eleemosyna vixerit, quem Eleemosynæ largior vsus ex famelico vomentem reddiderit, hominem curiosum, ad maledicendum quam benedicendum promptiorem, sacerdotibus Ethnicis deteriorem, alijs per calumnias tam absurda tribuentẽ vt credi non possint, hominẽ in Ecclesia Dei tumultuantẽ, Bacchanalia palàm viuẽtem, choræas exercentem, in conspectu Ecclesiæ, hodie tot locis Europæ lugentis, tripudiantem, dentata tantùm charta alios confodientem, calumnijs interea sua tuentẽ, etiamsi Ecclesiæ doctrina ruat à culmine, hominẽ impetentem alios sine causa, impetentẽ alios præter meritũ, qui in cœnobiorũ latebris lingua tantùm & latratibus bellare soleat, hominem post lauta conuiuia Bacchico Zelo æstuantem, conuicijs tantùm & mendacijs causam suam agentem, personam tantùm aliorum insectantem, causam deploratissimam agentem, hominem argumentosum, qui & cum animæ suæ periculo, atque diris vini cyathos exhauriat, qui ita sibi fidem faciat, vt inter pocula oret, habeant sibi mentienti fidem, nam & se ipsis mentientibus

Biblioteka Uniwersytecka Stalinigrad Poznań
BIBLIOTEKA ELBLĄSKA

crediturum esse, hominem cui larua detrahenda, asinum siue caballum Cumanum, cum Diogene Cynico consentientem, Homericum versum de muneribus vsu approbantem, in Christi militia seculi lucra captantem, turbatorem Ecclesiarum, Aularum, Academiarum, piarum etiam Oeconomiarum, conturbantem Israel, multa de alijs sceleratè confingentem, turbatorem conscientiarum, mendacijs putidissimis tantùm agentem, Araneum qui ex seipso mendacium proferat, sicut ille fingit ex seipso telum, perduellem notorium, perduellem publicum, nulli hominum ordini, nulli ætati, non mortuis non, viuentibus Dei seruis, si iracsci ac maledicta spargere cœperit, parcentem, viros doctrina illustres traducentem & exagitantem, alienum à pietate, alienum à virtute, alienum à meritis in Rempublicam, in alios tantùm debachantem, hominem contemptu potius quàm vllo responso dignum.

De Augiæ stabulo aiunt tantum habuisse fimi, quantum ter mille boues plurimis annis non possent reddere. Hinc de re molesta & difficili dicitur, Augiæ stabulum repurgare. Verùm si quis has sordes Cuculi nostri, vno quasi cumulo simul possit intueri, miror nisi id stabulum purgare, quàm has tantas eluere malit, tantas inquam, vt ne ipsum quidem mare (quod omnia mortalium mala proluere dicitur,) etiamsi in eo nouies (quod de canibus rabidis fieri aiunt) immergantur, proluere eas possit. Sed pergo.

Præceptorem suum ait esse hominem in aliorum scripta temerè inquisitionem instituentem, pijs Magistratibus passim præscribentem, sua commenta alijs vt subscribant, obtrudentē, Iureconsultis, Medicis, Philosophis, bonarum artium Professoribus, tanquam prophanis hominibus iudicium de controuersijs religionis omnino eripientem, ab alijs vt sese iureiurando ad paucorum Theologorum placita, per omnem vitam probanda obligent, requirentem, Theologum indoctum, qui personam quam sustineat, nequa

nequaquam tueri posit, qui velit omnes cæcos esse, quo Strabus ipse inter cæcos regnaret, inhumaniter alios & scythicè adorientem, suos quoq; collegas malè tractantem, quibus notus magis quàm charus sit, huius ætatis Diotrephem, primatum inter fratres expetentem, fratres barbaricè et Cyclopicè tractantem, cui placeat illa vox Augustino tantopere improbata, quod volumus sanctum est, cuius fraternitas aut coniunctio nemini sit expetenda, hospitem Ericium, qui eijciat eos, à quibus ipse vocatus sit, qui ita cum collegis suis viuat, vt vel per syncretismum cum ipsis coaluisse, prius credi non posit, nisi exhibitis ea de re literis testimonialibus fidem faciat, hominem cum quo nemini conueniat, nec cum quoquam mortalium diu conuenire posit, nisi qui in ipsius verba iurarit, qui olim multa benè & rectè concesserit, quæ hodie malè & falsò rursus neget.

Hosbes Eraig

Venit mihi hoc loco in mentem Diogenis Cynici dictum, is enim Grammaticos & Poëtas stultissimos sibi videri, dicebat, quòd aliorum mala, vt Vlyssis & sociorum atq; similium, tanto studio colligerent, & de suis ipsorum non cogitarent. Sic admodum stolidus est Cuculus noster, qui dum sua mala aut ignorat aut negligit, aliena & quidem ementita singulari industria exagitat.

Sed videamus quomodo Sysiphus hic perpetuò sed irrito labore suum saxum voluat.

Præceptorem suum ait fines humilitatis Theologicæ egressum, ignem igni addere, hominem cuius pestilens magis sit amicitia quàm inimicitia, cuius etiam amicitia planè recusanda sit, sicut lenti securidaca, hordeo festuca, quæ Ægilops dicitur, hominem qui pestilenti fermento massam doctrinæ Christi corrumpere non desinat, qui sibi ipsi in doctrina nequaquam constet, qui constantiæ laudem sanè mereatur, sed in sola inconstantia, Amphisbenam, Proteum, nostri seculi Momum, qui res suas diuersis & pugnantibus rationibus agat, qui eadem aliâs laudet, aliâs damnet, censorem, qui eosdem nunc laudet, nunc insectetur inhumanissimè, hominem ferulis subijciendum,

ciendum, concionatorem Ecclesiasticum, consiliarium Aulicum, Bebenhusianum Monachum, Professorem ironicè, venatorem, Volaterranum, Metiochum, scarabæum Olynthiacum, qui semel septa verbi Dei egressus, ita sese in circulum vbiquitarium conijecerit, vt egredi ex eo iam amplius non possit, variè sese torquentem, in omnes formas sese transformantem, seipsum etiam miserè conficientem, honestis & doctis viris apud heroicos viros nigram notam maledicendo aspergentem, artis conuiciandi peritum, eminus tantùm pugnantem, & interea strenuè sibi cauentem, doctorum virorum, Bezæ, Bullingeri conspectum etiam fugientem, Bonasum, Sophistam, qui eminus tantùm conuicijs, mendacijs & charta dentata pugnet.

His quidem moribus Cuculus mihi noctua potius quàm Cuculus esse videtur. De ea enim Plinius refert, quòd cùm maiori hostilium auium numero se circumdatum videat, resupina & in arctum collecta, rostro, pedibus & vnguibus pugnet: sic ille rerum & argumentorum vi se superatum videns, conuicijs, calumnijs, & quibus potest ex iracundia coaceruatis conrumelijs, causam suam frustra tueri nititur. Sed videamus in conuiciorum quodam quasi labyrintho amplius oberrantem Cuculum,

Præceptorem suum vocat Aspendium tibicinem, qui ædilitatem gerat sine populi suffragijs, actorem pariter & Iudicem suæ causæ, benignum Magistrum ironicè, qui à se dissentientes solo (ipse dixit) velit compescere, prælatum, prælatum qui velit esse formidini sed non vtilitati, agresti ingenio, blateronem, in alios atrociss imè iniurium, qui sibi permittat quæ ira & libido dictet, Abbatem qui superbè agendo velit alios sibi obedire strictissimè, ipse superioribus obedire recusans, præpositum, qui pati correptionem non possit, qui Spiritum lagenæ eructauerit, multa contra conscientiam & dicentem & facientem, in quo intelligentiæ lumen iusto Dei Iudicio sensim extinguatur, Charitatem, characterem serui

Iesu

Iesu Christi non habentem, lenitatem & mansuetudinem suam nequaquam probantem, pios doctores (immani odio æstuantem,) turbatæ Ecclesiæ, hypocriseos & periurij falsò insimulantem, Apostolum vbiquitatis, legatum Romanæ sedis, aliena curantem, rerum alienarum inspectorem, Ecclesiæ turbatorem, lucem Synodi reformidantem, applausorum tantùm numero & multitudine sanctissimæ & inuictissimæ eius causæ derogantem, causæ suæ diffidentem, Porphyrium serpentem, edentulum, qui plus mali cogitare & loqui possit quàm nocere, mendacijs alijs insidiantem, sophismatis & fallacijs pugnantem, mancipium, fugitiuum mancipium, Athleticè pugnantem ironicè, Sophisticantem, in cuius argumentis nihil nec sacrum nec sanum.

Tu verò mi Lector, quid in hoc homine sacrum aut sanum esse censes? Thaletem dixisse aiunt, multa verba ostendunt hominem parum sapientem. Is si audijsset Theologum tot inepta profundentem conuicicia, quid dixisset: nisi Melitide Homerico stultiorem eum esse, & qui indigeat nasturtio. Sed audiamus coccysmos suauissimos.

De Præceptore suo ait, esse hominem, cuius orationi nihil sit deferendum, qui multa vera esse affirmet, quæ sint falsissima, sua nimis impudenter affirmantem, alijs falsò quòd non sentiant tribuentem, Magorum more de verbis litigantem, rationis humanæ hostem, hominem barbarum, vomicà incurabili laborantem, chirurgum hulcus attingere non audentem, paralogismis ludentem, plurima fortiter affirmantem, sed ne quidem timidè probantem, falsum testimonium contra proximum dicentem, mendacia proferentem, & veritatem occultantem, cui non sit religio, alijs veram sententiam derogare, & falsam affingere, hominem coram tota Ecclesia abominabilem, prætumida animatum fiducia, more homicidarum nulla humana Iudicia verentem, cui sua ipsius mendacia mentian-

mentiantur, cui nemo qui nouit fidem habeat, impium nugatorem, cuius etiam quæ vera sint, admixta tamen falsa habeant, iuuioribus confusione sua fucum facientem, cauillatorem, sub quouis lapide scorpium quærentem, insidiosa determinatione agentem, sua vitia ne animaduerti ab imperitis possint, pingentem, inhonestas mulierculas cerussa Stibioq; facies pingentes, ne rugæ deformes appareãt, imitantem, mente lubrica hominem, alterius verba torquentem, cuius omnes cogitationes ad nocendum, absentes inhumanissimè traducentem & exagitantem, pijs insultantem, strophis & mendacijs pugnantem, hominem dignum qui paulò pòst fiat exemplum Iudicij diuini, imperitis fucum facientem, toti Ecclesiæ Dei molestum, Blateronem, verba Cœnæ Domini stolidè intelligentem, verba Cœnæ Domini ad confirmandum commentum de corpore Christi in pane latitante stolidè torquentem, verbis Cœnæ Capernaiticum & vbiquisticum sensum affingentem.

Hìc respiremus paululum, & quidem memini nunc, quæ de serpente Amphisbene Plinius scribit, geminum scilicet ei esse caput, hoc est, & ad caput & ad caudam, quasi parum esset inquit, vno tantùm ore fundi venenum. Sed si ei tot essent ora, quot Argo oculi, si, puto, sint linguæ centum, sint oráque centum, plus ne venenatissimorum conuiciorum fundere posset, quàm hic Cuculus, tamen eorum ne adhuc quidem finis est.

Præceptorem ergo suum amplius posteritati commendaturus, facit illum hominem profectò miserabilem, tam inepta Sophismata, hoc tam erudito seculo proferentem, vt iuuentutis commiseratione dignus sit. Stolida mendacia, perinde ac mera oracula obtrudentem, censorem, sed sine populi Dei suffragijs, cachinnos ædentem, hominem sacramentosum, cuius mendacia si ad Syllogismi leges reuocentur, quàm putida, putrida, purulenta, virulenta

lenta sint, facilè deprehendi, quod modis omnibus falsum est, pro confesso tamen sumentem, garrientem, sibi ipsi turpiter contradicentem, ex eodem ore calidum & frigidum efflantem, quod dextera dedit, sinistra eripientem, logomachia ludentem, hominem sine mente & fronte, optimo & innocentissimo cuiq; maledicere audentem, hominem miserum, tantùm conuicia facientem, in quo iuuentus triste exemplum cæcitatis & mentiendi libidinis habeat, cui de sensibus ad discrimen boni & mali exercitatis, nihil constet, verba Cœnæ stolidè accipientem, bellis similitudinibus ludentem, qui ira impeditus, vt verum ne cernere quidem possit, de alijs etiam dicta calumniosè de se interpretantem, sic loquentem, vt quid dicat, ne ipse quidem intelligat, homonymijs vocabulorum ludentem, aliena dicta sinistrè interpretantem, Corymbos nectentem, miserum mancipium, cui per salutem animæ suæ iuranti, nemo credat, hominem in crimine falsi sæpius deprehensum, cui corui luscinijs sint honoratiores, graculum, scurriliter alios irridentem, irridendos alios propinantem, hominem facetissimum, cui paralogisanti nemo facilè surrexerit, cuius argumenta digna quæ cedro minioque notentur, cui Carneadeum acumen tribuendum scilicet.

Memini iam, Cuculum suprà dixisse, velle se Præceptori respondere: petat peritum suæ artis, se enim conuitiari nunquam di-« Pag. 32.
ciisse, quòd si artem hanc, quam vocat, nondum didicit, & tam «
fœlix nunc est, quid futurum putas, vbi amplius profecerit, & aliquam eius peritiam ex vsu & exercitatione contraxerit?

Sed videamus quomodo perpetuo conuiciorum tenore Cuculus noster progrediatur.

Præceptorem & in eo ridendum propinat, quòd ait, peregrinam sententiam alijs sycophanticè eum affingere, suum commentum alijs sine fronte & mente tribuere, hominem audacter admentientem, quamuis nemo bonus, nemo prudens fidem habeat, quæ ille verè doceat, hunc furenter negare, Aristarchum, qui infide-

lium & hypocritarum patrocinium susceperit, cùm aliorum doctor esse velit, tamen in luce meridiana cæcutire, nusquam sibi constantem, fœdè sibi ipsi contradicentem, quòd antiquitas cum Caluinistis non faciat, putidè mentientem, antiquitatem contumeliosè insectantem, eruditæ antiquitati derogantem, eius dicta pessima fide citantem, & fallacia compositionis & diuisionis corrumpentem, hominem à Musis & Gratijs alienum, Turneissero similimum, qui de rebus longè dissitis impunè mentiatur, lucem cum tenebris inerudite confundentem. Qui Sathanam autorem esse dicat omnium, quæ Ethnici in Philosophia, legibus, arte medica, radio diuinæ lucis scripserint, cui nemo non primas deferat in maledico & furioso scribendi genere, hominem malæ conscientiæ, qui nullo cum successu, sed æterno suo cum dedecore, absens, dentata tantùm charta agat, absentibus fanda et nefanda affingentẽ, quasuis fabulas tanquam oracula amplectentem, Heroẽm Mauortium, contemnentem pacem, appetentem gloriam, meliores sese contumelia immeritò afficientem, cuius amentia magis magisque nota fiat omnibus hominibus, scrutantem iniquitates, perficientem scrutinium scrutatum, scrutantem cor profundum, & intimum cuiusque, vindicis Dei manum commeritum, dignum quem suâ sagitta iaculetur Deus, qui plaga repentina afficiatur, cuius linguam Deus faciat impingere super seipsam, qui sit triste exemplum contemptoris diuinorum oraculorum, hominem detestabili audacia, sequentem carnem, incedentem in impura cupiditate, dominatus despicientem, audacem, sibi ipsi placentem, dignitates conuicijs incessentem, nihil aut neminem horrentem, Papam, ante victoriam encomium canentem, hominem mordacissimum, infestissimum, cuius malæ conscientiæ signa tot eius mendacia & calumniæ, toto orbe Christiano teste, alijs iuueniliter insultantem, qui se sæpius turpiter dederit, per similem homini in profundo luto iacentem,

tem, qui omnes alios immodestia & maledicentia longissimè superet, hominem sua opinione omnium hominum doctissimum, soricem, qui suo se prodat indicio, astultè sibi cauentem, de rebus inauditis Monachaliter pronuntiantem, stolidè argumentantem, Magistrum nostrum, alijs Magistratibus quid velit fieri præscribentem, conscleratissimè mendacem, alios ad tribunal Christi imperiosè reuocantem, ad maledicendum venundatum, atroces iniurias spargentem, seruis Dei iam diu & horribiliter etiam maledicentem.

Sed quò abis, mi Lector, ? ne quæso molestum sit quæ restant audire: abutor iamdudum fateor, tua beneuolentia, &: quid, dices, ad me redundat vtilitatis ex his conuicijs? Sed audi: Vespasianum Imperatorem ex lotio etiam lucrum fecisse aiunt, adeò ex re quauis odor lucri bonus est: dabimus ergo & nos paulò pòst operam vt emolumenti aliquid ex his etiam conuicijs capiamus, modò mora molesta non sit.

Tribuit igitur Præceptori gratitudinis ergò, pro collato summi gradus testimonio varias offensas, pugnas exitiosas, iniurias minimè vulgares, assseuerationem vanam & calumniosam, verba funesta, σύσφημα, contumeliosa, offendiculi plena, intemperiem, tetricam & ineruditam doctrinam, maledicentiam rabiosam, insolentiam, quæ viris cordatis displiceat, mendacium & vanam iactantiam, paradoxa noua, insulsa, agrestia, voces calumniosas, concertationes furiosas, non necessaria scripta, motus, turpissimum præiudicium, recentes fabulas, sordido condimento oblitas, chartam dentatam, Cuculi cantum, βωμολοχίαν, scurrilitatem scribturiendi, perturbationem tranquillitatis, caninam facundiam, insultus, crapulam ab intemperie ortam, figmenta vanissima, ridiculam credulitatem, multa commenta, profligatissimam mentiendi audaciã, quòd nõ ducatur bono Spiritu, leuitatẽ desultoriã, multa artis maledicendi specimina, furiosas calumnias, quòd docere in Schola

rarò ei esset integrum, præmeditato autem rarissimum, sicut maior ætate, ita etiam iniquitate, Amburbias oberationes, Anathematismos, magnas nescio quorum oppressiones, argumenta Herculea, si morbum spectes, curas stultissimas, similia Vulcaniana, in vtrumque latus claudicantia, Hechingense latinum & odium, cæsum Pluteum qui ostendat facilè, & demorsos vngues, insidias, orationem perplexam, Diabolicum mendacium, orationem lubricam, lubricæ mentis indicem, erroris documenta, mendacia & Strophas, spiritum vertiginis, caput helleboro indigens, odium veritatis, vocem insulsam, portenta, consubstantiationem, impanationem, companationem, subpanationem, calumniosas interpretationes, sceleratas calumnias, calumnias quas Deus sit vlturus, notoria mendacia, Satyricas reprehensiones, insolentiam cuius vltor nimirum Deus iustus Iudex futurus sit. Kenophoniam, sentinam calumniarum, quam nemo facilè exhaurire possit, maledicum scribendi genus, furiosum scribendi genus, risum sardonium, importunitatem incredibilem, contumelias aculeatas, quas nemo pius aut prudens possit pati, amarã inuidiam, dicacitatem, scurriles cachinnos in publicis congressibus, risus Diabolicos tota Germania notos.

Nauseat & meus dudum ventriculus, & vomitum mihi minatur natura: sed animum recipe Lector amice, portum video, superemus ergo quod reliquum est magno animo.

Scriptum Præceptoris his ornat titulis, dicit esse scriptum atrocissimum, truculentissimum, calumniosissimum, centones, brutum fulmen, consequentias Iacobandricas, mendacia Iacobandrica, plumbea tela, obtusa tela, Cramben coctam & recoctam, sexcenties ab hoc homine recoctam, maledicentiæ sputo cœnoq; conspurcatam, argutias, leprologias, coccysmos, lutum platearum, lutum ad lapsum ingredientes impellens, telas aranearum, insulsa scripta, insulsam farraginem, magno hiatu prolatam confusionem, carcino-

carcinomata, leptologemata, dogma vbiquisticum, figmentum vbiquisticum, vbiquitatem ementitam, chimæram vbiquitariam, Matæologiam vbiquitariam, lippos, tribulos, Lalliana scripta, scurrilia scripta, insulsorum scriptorum stercora, ficulnea sophismata, maledicum librum, librum quo maledicentior totos quadraginta annos non prodierit.

Habes, pie lector, Caluinianæ pietatis, fidei, candoris, gratitudinis, animi moderationis exemplum incomparabile. Et dic quæso tu, ouum ne ouo, an verò Cuculus Cuculo sit similior, dixeris ex eodem prognatos ouo. Sic nimirum nutricationis vicem Cuculo rependere visum est, hanc nutritionis mercedem persoluit hîc aries, hæc Syloſontis illa Chlamys est. Age si posthac libet Caballe Cumane, pasce canes qui te lacerent, catulosq; luporum, si inquam ita videbitur, posthac sub eodem tecto habeas hirundines. In senem beneficium ne contuleris dicebatur olim: vel quòd obliuiscerentur, vel quòd intermorerentur citius, & non esset beneficij compensatio. Sed hodie perinde est, nam qui minor est ætate, maior est ingratitudine & iniquitate. Nihil enim citius senescit gratiâ, quæ plerumque dormit. Et rectè ille dixit, vbi quid benefacias, plumâ leuior est gratia, si quid peccatum putant, plumbeas iras gerunt.

Etsi autem ista viro bono non mediocriter dolent, cùm mergi se videat ab eo quem vrinandi artem ille docuit. Quemadmodum enim (vt quidam dixit) id demum iuuat, vbi, quem æquum est benefacere, is facit, ita id demum dolet, vbi quem æquum erat benefacere, facit malè, tamen ferenda est intolerabilis alioqui impietas hæc, & Deo scelerum vindici committenda, nam præter Pyrrhiam nemo benemerito bouem immolauit, vt in prouerbio est. Et cogitemus illud Themistoclis, qui de alijs benemeritos platanis comparauit, ad earum enim vmbram aduersa tempestate accurrunt homines, vt tuti esse possint, verùm cùm præterijt

tempestas, & cœlum serenum est, vellunt arborem, petuntq; conuicijs. Quin imò soletur nos nostra conscientia, & cum Socrate dicamus, non maledixit nobis, cùm ea nobis non adsint. Et placet illud Philippi Macedonis, qui conuicitatoribus sese gratiam habere, dicere solitus est, quòd, inquit, meipso, dũ dictis & factis eos mendacij conuincere studeo, quotidie melior euado. Et eandem, quam olim Socrates etiam ex ingrati Cuculi conuicijs vtilitatem capiamus. Is enim ideo ferendus conuiciatores æquiori animo censuit, aut enim quæ vera sunt & meritò culpanda, reprehendunt, tum admoniti emendemus, & proderunt, aut falsa de nobis (vt hic Cuculus) dicunt, & sic apud bonos non oberunt.

Quid enim, num iure experiendum credis? sed nobis Socraticum illud obstat, is enim cùm à quodam per lasciuiam pugno petitus esset, pertulit, hortantibus alijs vt in ius vocaret hominem, respondit, ridiculum est quod iubetis, num enim & asinum si calce me percussisset, in ius vocandum arbitramini? Vos autem ô Cadmæi fratres quid? An non vos omnes viuis coloribus depinxit hic vester Apelles? An non dolorem vestrum, quem strenuè dissimulando, vtcunque alta præmebatis mente, hic in lucem produxit, fecitq; publicum? An non aliud vobis ore promptum, aliud verò pectore clausum esse, liberè Cuculus vester nobis quasi digito monstrauit?

Et hîc quidem venit mihi in mentem regis cuiusdam Ægyptij factum, qui Apellem cui plurimum indignabatur, hac occasione in gratiam recepit. Delatus fuerat Apelles, vi tempestatum Alexandriam, & quibusdam subornantibus, à Plano scurra regio, in aulam vocatus, vbi cùm eum rex conspexisset, iratus quæsiuit, & quis nam vocasset, ille quòd nomen & officium Plani ignoraret, carbone arrepto pingere Planum cœpit, quo mox agnito, rex risit, & arte delectatus, ipsi etiam Apelli ignouit. Ita sanè nõ planè nullam Cuculo debemus gratiam, qui ceu Apelles, Planos

suos

ſuos ita depinxit, vt à quouis nunc ſine magno labore agnoſci poſſint.

Etſi autem ſibi triginta argenteos ſine controuerſia promeruit, vobis tamen non optimè conſuluit illud Architæ crepitaculum. Nam vt olim Amiclas perdidit ſilentium, ita ille poſtquam aures ei in linguam defluxere, (vt olim Zeno cuidam dixit) Rempublicam veſtram ſua garrulitate prodidit. Ciconias (ait Plinius) in patentibus Aſiæ campis conuenire, ſed eam quæ poſtremò aduenit, lacerare. Atqui illa nemini nocet, ſed tantùm remoratur pauliſper cæteras. Quid ergo intempeſtiuo ſuo aduentu Cuculum commeritum arbitramini?

Hac tamen conditione, ſi quid ego conſulendo poſſum, non ab omni gratia vobis repudiandum exiſtimo, ſi poſthac gruem, quàm cuculum æmulari malit. Etenim (ſi Plinio credimus) grues ſi abeundum illis ſit, guttura harenis implent, ne ſe & gregem ſua voce prodant. Ita ſi veſter ille guttur poſthac vel harena, vel alijs quibuſcunq; excrementis adimpleuerit, nullum, ne adeo turpiter vos prodat, erit periculum. Verùm nunc ad te redeo mi Cucule, & quæſo te per omnes tuos fauo & melle dulciores Coccyſmos, per omnia ſacra tua conuitia, & religioſas tot calumnias, vt dicas nobis, quæ tibi, procul dubio grauiſſima cauſa fuit, vt tot & quidem tanto ſtudio congereres conuitia? Niſi fallor Eraſmum æmulatus es, qui vt rerum verborumq; copiam adoleſcentibus, ita tu conuitiorũ ampliſſimam quandam ſyluam dare voluiſti, ne ſcilicet cùm opus ſit tanto theſauro, hinc inde multo labore tam precioſam ſupellectilem conquirere cogerentur. Aut fortè, vt eſſes noſtri ſeculi Nero, qui cùm pulcherrimas, ſcilicet, ſuo mandato incenſæ vrbis Romæ flammas, cum magna oblectatione ſpectaſſet, inter cætera ait: Nemo Principum ante me ſciuit, quid ſibi liceret. Ita tu exemplum rei bene geſtæ ſucceſſoribus præbere voluiſti, ne ſcilicet porrò ignorent, quid eis in nos liceat amplius etiam quàm hactenus.

Vene-

Venerant nonnulli adolescentes Pontici Athenas, videndi Socratis gratiâ, eos quidam ad Anytum duxit, dicens: Hic verò Socrate multò est sapientior, nam Socratem accusauit. Ita tu Præceptorem multis parasangis præcurris & superas, nam & maledicere ei potes.

Aut metuebas fortè, ne persuaderemus nobis tibi os nullum esse. Etsi autem eruditi nec os nec frontem tibi esse facilè perspiciant, tamen mea alia est opinio. Idem enim tibi eius rei testimonium etiam publicè exhibere non grauabor, quod Cato senior Lentulo. Etenim cùm Catoni causam in foro agenti, Lentulus attracta sic satis pingui saliua in medium frontem expuisset, respondit Cato: Affirmabo, ô Lentule, falli omnes, quotquot te os habere negabunt.

Aut fortè periculum erat, ne idem tibi quod Euripidi, accideret. Interrogatus enim, vnde ipsi esset tanta oris graueolentia: respondit: Multa arcana hîc computruerunt. Quòd si ex rebus grauibus & arduis, ille, quantò magis tu Cucule ex tot leuibus, putidis & purulentis conuicijs, si computruissent, oris graueolentiam contraxisses, nisi euomuisses?

Est tamen & alia non minus (si fastum spectes) prægnans causa. Diogeniano es ingenio, fortè itaque eadem tibi in Præceptorem, quæ illi in hospitem offensæ causa fuit. Is enim inuitatus à quodam & lautissimè acceptus, cùm sequenti die denuo ad conuiuium vocatus esset, venire renuit, quia inquit heri mihi non sunt actæ gratiæ: ita tu Cucule, exceptus quidem Tubingæ fuisti benignè, institutus liberaliter, habitus humaniter, dimissus honorificè, tamen quòd non etiam actæ insuper gratiæ, ingratitudinis & maledicentiæ sufficientem, scilicet, habuisti causam.

Quòd si ne sic quidem veram causam assecutus sum, eandem quam Socrates olim dixit, esse crediderim, qui interroganti cuidam: quare hic de te malè loquitur? nimirum inquit, quia bene loqui

qui non didicit. Nisi fortè Zoilus sis, ex quo cùm quidam quæreret, quare nam quibuslibet malediceret, quoniam inquit malefacere, quod sane cupio, non possum.

Quòd si abs te id factum est, vt Præceptoris tentares patientiam, errasti toto cœlo. Etenim vestris conuicijs ille hodie non commouetur magis, quàm olim Xantippes suæ maledicentiâ Socrates. Cui cùm Alcibiades dixisset: Et quomodo potes illam rixosam domi perpeti? respondit: Ego eius conuicijs ita assueui, vt non offendar magis, quàm si rotæ aquam è puteo educentis stridorem audiam.

Isthæc verò mi Cucule quàm te deceant, quantùm ornent, si potes, quæso sedulò cogites. Tribuis sanè tibi ipsi si non nimium, certè plurimum, vt quod Archidamus olim filio cum Athenienſibus temerè congresso dixit, tibi quoq; dictum putem, vtinam ô fili aut plus virium, aut confidentiæ minus esset. Dona quidem, vocationem, si quæ est, & personam quam sustinere videri vis, non inuidemus: sed Agamemnon cùm esse velis, quare Thersiten agis? Cùm angelum lucis te profitearis, quare calumniando & conuiciando diabolum repræsentas?

Dicis quidem tu de te ipse, idem tibi, quod Plinius scripserit, accidisse: Recta ingenia debilitari verecundia: Si hæc recti ingenij argumenta sunt, quid dabis quando peruersum ingenium ostendes? Si hæc tua verecundia te scribere voluit, quid non sperabimus, vbi verecundiæ fines nuper egressus fueris? Suggillas Præceptorem quòd charitatem, serui Christi characterem, & sic nec lenitatem nec mansuetudinem suam probarit. Etsi autem nihil horum doceas, tamen si ita esset, quare tu in eodem luto hæsitas, aut cuius nam serui characterem tot virulenta conuicia esse censes, tu ne sic charitatem & mansuetudinem tuam nobis ostendis?

Equidem vt homo non sis, sed bestia & cuculus, tamen ipsas bestias ingratitudine longè excedis. Meministi enim historiam

Aquilæ à virgine apud Sestον vrbem educatæ. Fidelitatem canis T. Sabini, qui etiam ad os defuncti domini sui cibos detulit, vt nutritionis vices redderet. Gratitudinem leonis Helpidij Samij, & ciconiarum antipelargesim. Tu verò præter conuitia quid reddis? Sanè si tui ordinis esset Præceptor, ita: vt conuitijs nutriri & viuere vellet aut posset, Pelargon te dicerem, & liberalissimè functum officio. Iam verò cùm tantum non distent æra lupinis, quantum à conuicijs trepteria, tu nitore maiori dexteritate officium feciſſe videberis, quàm qui cani paleas, asino verò ossa dederit. Quòd si scorpij exemplo, qui parentes quoque tollere dicitur, te tueri velis, tuum maius scelus est. Illi enim vt parentum impietatem vlciscatur, id à natura tributum creditur, ἀποργίαν enim, qua fœtum suum præter vnum, necant genitores ipsi, qui solus superest, hoc modo vindicare dicitur.

Tu verò benefactoribus etiam adeò iniquus es, & qui honorum tibi causa sunt, illos tu probris excipis & contumelijs.

Ex quibus nimis perspicuum est, hominis naturam te exuisse, & in bestiam degenerasse, atque adeò his etiam non vno nomine inferiorem esse.

Sed fingamus te hominem, & Ethnicum duntaxat (nisi quis te propter abnegatam fidem Ethnico deteriorem dicere velit) quàm longo te illi pietatis & gratitudinis interuallo post se reliquerunt. Sic enim illi: Beneficij accepti decet meminisse. Et: Miserum sanè est, esse ingratum hominem: Et: Ingrato homine nihil peius terra creat: Et: Virum decet bonum, accepti beneficij meminisse toto pectore, sed si quis quod accepit beneficij obliuiscitur, generosus hic vir nunquam erit. Vides nimirum, etiam Ethnicorum calculis te impietatis condemnari, quorum iudicio neque vir bonus, neque generosus, sed verè miser, atque inutile terræ pondus haberis, pondus inquam terræ, quo peius illa nullum sustineat.

De Socra-

De Socrate scribitur, vocatum ab Archelao Rege, venire noluisse, ne inquit beneficia accipiam pro quibus paria reddere non possim, tu pro acceptis etiam imparia, & pro beneficijs maledicta reddis.

Improbum esse hominem (dixit quidam) qui beneficia accipere sciat, reddere nesciat, & sanè Philippus Macedo, cùm audisset de morte Hipparchi, dicitur eam tulisse acerbissimè, interrogatus quid ita, cùm ille tempestiuè discessisset, respondit: sibi quidem tempestiuè, mihi verò præpropere, quòd nullum ipsius meritis dignum à me acceperit beneficium. Tu verò enecare etiam conuicijs, si posses, benefactorem velles.

Ciceronis, si rectè memini, illud est: Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm committere, vt beneficio non dicam indignus, sed victus esse videare. Hinc Philippus Maced. Thebis aliquando obses, Philonis hospitio vsus, alijs etiam insuper beneficijs affectus, adeptus postea regnum, accepti beneficij meminisse voluit. Philone autem quicquam accipere recusante, respondit Rex, ne me quæso hac laude spolies, quòd neminem me beneficijs superare hactenus passus sum.

Tu verò homo Christianissime ingratitudine & maledicentia quo uis superare pulchrum esse censes.

Ingratum si dixeris, ait quidam, maledicta cuncta dixeris. Id verè expressit is ipse, quem dixi, Rex Macedo: Cùm enim legatorum eius quidam, facto naufragio, adiuuante vicino colono, vix euasisset, deinde verò hospitio susceptus ab eodē tractatus esset satis liberaliter, tamē paulò pòst à Rege obtinuit, vt eiecto colono, prædiū illud sibi donaretur, quod vbi rex postea, rustico quiritante, intellexisset, cōprehenso, stigmata his literis iniuri mādauit: Ingratus hospes: Duob. verbis cuncta dixerat: Ita nos si pro infinitis cōuicijs tibi dicamus, hospes ingrate, cuncta respondisse maledicta nobis videbi-

mur. Dixi quædam de Ethica gratitudine in genere, quòd si de præceptoribus in specie quæ illi monueruut, referenda essent, dies me deficiet. Dijs, Parentibus & Præceptoribus non posse reddi æquiualens, Aristoteles scripsit. Hinc Xenocrates, cùm audiret Dionysium Platoni, quo Præceptore vsus fuerat, dicentem, auferetur tibi caput, respondit: non prius, quàm hoc meum mihi.

Et Alexander ille magnus, Præceptoribus plus se debere testatus est, quàm ipsis parentibus, quòd ab his quidem vt viueret, ab illis verò vt bene viueret, accepisset. Cuius rei exemplum Isocrates esse posit, qui pro Præceptore Theramene à triginta improbis hominibus circumuento, corpus opponere, & vitam in discrimen vocare non recusauit, à quorum pietate quàm procul tu abs, si non intelligis, certè Bouem Marinum te meritò dixerim.

Quòd si Herculis aut Neronis exemplum mihi opponas, quorum vterq; Præceptorem sustulit: Respondeo: Quare nõ potius Antoninum Philosophum Imperatorem imitari voluisti, quàm has truculentas bestias & hominum monstra? Ille enim, etiam Imperator, tanto in honore Præceptores habuisse dicitur, vt imagines ipsorum ex auro conflatas, ad conseruandam perpetuam beneficiorum memoriam, in palatij sui sacello collocarit, quibusdam verò etiam statuas, Frontoni inprimis à Senatu postularit.

Iulius Capitolinus in Antonino.

Quid si dicam, teipsum etiam Neronem impietate superare, qui Præceptori optionem dedit, vt quod vellet mortis genus eligeret, tu verò conuicijs virulentißimis ipsa morte acerbioribus, quasi sensim conficere Præceptorem voluisti. Vtinam vel in hoc Neroni similis, qui, quotiescunq; capitalis sententia subsignanda erat, exclamasse dicitur, vtinam literas non nouissem. Vtinam verò ô Cucule, cùm hæc scribere velles, literas non nouisses, ne perpetua ignominia te ipsum quasi tua manu notasses.

Iam verò tu Christianũ te esse dicis, atque adeò qui Christianam doctrinã alijs tradere velis, & tamen tantã tuam ingratitudinem

& im-

& impietatem nihil dissimulas. Non ita Apostolus, cuius est illud: Grati estote: Ingratos autem vsque adeò detestatur, vt deuitandos pijs censeat. Sic Salomon Rex sapientissimus: à domo ingrati, inquit, non recedet malum. Et Syr: Malis non bene erit, & qui ingrati sunt erga benèficos. Non sic erga Sareptanam Elia. Non sic erga Sunamitidem Elisa. Non sic Iosua, ne quidem erga meretricem, sibi suisq; hospitium præbentem. Dauid quòd benefactoribus non potuit, liberis & posteritati eorum gratum se exhibuit. Sed Chami impietatem, Ioe Regis ingratitudinem, & puerorum in Bethel petulantiam æmulari satius esse credidisti, nihil vindicis Dei manum metuens, qui tibi impunè omnia licere putas, tantò maiori tuo cum dedecore, quantò tua quàm puerorum maior erga Præceptorem debuit esse reuerentia, vt qui adolescentiæ pietatis doctor, & morum formator datus sis.

Coloss. 3. 2. Tim. 3. Pro. 17. Syr. 12. 1. Reg. 17. 2. Reg. 4. Ios. 6.

Neq; etiam sic pia vetustas vt benefacta maledictis, sed gratitudine pensanda doceret. Ambros. Non esse Christianum qui facilè maledicat, ait: Hieron. Nemini detrahas, nec in eo te sanctum putes, si alios laceres. Chrysost. Gratiarum actioni nullum par bonum. Et: Magnus thesaurus est gratiarum actio, magnæ diuitiæ. Sic Augustin. Reddere bona pro malis, & non reddere mala pro bonis, hæc bonorum sunt, & posterius melius. Sed non reddere bona pro bonis, & reddere mala pro bonis, hæc malorum sunt, & posterius deterius.

Ambros. in Epist. ad Rom. cap. 12. Hieron. ad Rust. Mon. Chrisost Hom. 1. ad pop. Antioch. August. Psal. 8.

Hæc & similia, si Christianus iure dici volebas, te meminisse oportuit.

Atqui dices opinor, est hic homo agrestis & tetricus, imò non homo, sed canis rabidus, Cumanus asinus, & iumentum quod nihil intelligit: Mea verò bona causa est, & mihi veritatis studium, cùm ipse pestilenti fermento massam doctrinæ Christi corrumpere non desinat, ideoq; amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Respondeo. Et si ista nihilomagis vera sunt, quàm si mare

vites tulisse, aut te sine pennis volasse asseras, tamen si id verum esse vel fingamus, maior tamen tua in Præceptorem debuit esse reuerentia, vel Ethnicorum exemplis. Sic Alexander ille Macedo equum Bucephalum eo loco quo confossus sub ipse fuit, & sepelijt, & conspicuo monumento, gratitudinem erga beluam, qua vsus aliquandiu fuerat, ostendit. Athenienses mulos qui in ferenda materia ad Hecatombylon opus fecerant, à laboribus immunes perpetuò esse, atque liberè vbi vellent pasci voluerunt. Xantippus cani, qui per maria natando Salaminem vsque eum sequeretur, mortuo sepulchrum condidit, quod Cynotaphium ex eo appellatum est. Quid Romani anseribus Capitolij liberatoribus, coruo etiam, quòd, Imperatorem prætereuntem salutare soleret, decreuerint, tibi non ignotum esse existimo. Tu verò miserum (quem dicis) caballum Cumanum, qui te ignauum plus satis tulit & extulit, ita exagitandum tibi sumpsisti, vt quasi è sublimi falsè ipsum derideas. Iam ponamus & istud, flumina sursum ferri, hoc est, te causæ bonitate vincere, num verò id sine conuicijs docere non poteras? Quare quod iustum est (si est) non iustè etiam persequeris? Annè ignoras bonam quoque causam (qualis tamen tua nequaquam est) malè agendo corrumpi posse? Cum parentibus (dixit quidam) etsi iusta dixeris, ne contenderis. Nos verò illud solùm à te petimus, ne conuicijs atque mendacijs negocium tuum promouere coneris, neque enim hoc quidem pacto, vel doces quicquam, vel emendas, vel ædificas etiam. Nam vt rectè Hieronymus inquit: Nihil nobis prodest, si nostra mala (quæ verius tua sunt) alijs referas. Et iterum:

Hieron. ad Rust. Mon.

Idem Ibidem.

» Hoc non est nos emendare, sed vitio tuo satisfacere. An
» non tu ipse scribis, vtinam nunquam tristitia afficiamus Spi-
» ritum sanctum Dei, per quem obsignati sumus in diem redem-
» ptionis filij Dei, vtinam omnis amaritudo, excandescentia,
» ira, clamor & maledicentia tollatur ex nobis cum omni mali-

tia, vti-

tia, vtinam simus alij in alios benigni, misericordes, condonantes "
nobis inuicem. Væ tibi Hypocrita, quia similis es sepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus speciosa, intus verò plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia. Quid enim? Num sic gaudio afficitur Spiritus sanctus? Num hæc benignitas tua in Præceptorem & condonatio? Quid est ira, amaritudo, maledicentia, si hæc non est?

Sed restat effugium aliud, nimirum atrocissimis iniurijs prior ab illo affectus sum, dices: Ponamus & illud: quare non memineras istud Hieronymi: nihil causæ tuæ prodest aduersarium talione mordere. Et illud Ambrosij: Quàm bonum est ferre conuicium quàm referre. Et rectè Tertull. inquit, quid refert inter prouocantem & prouocatum. Nulla in maleficio ordinis ratio est, sicut nec locus secernit, quos similitudo coniungit. Et tu ipse quid scripsisti, probare te illud Gregorij, gloriosius esse iniuriam tacendo fugere, quàm respondendo superare. Et rursus: patienter illi iniuriam tolerandam esse, qui piè meminerit, & se habere in quo ipse debeat tolerari. Sed quare protestatio tua contraria est facto, nisi quòd oris tui habitum subinde mutat periculosus ille morbus, Hypocrisis? Deo itaq; nisi Hypocrita esses, vindicta committenda erat, qui, vt Tertullianus inquit, satis idoneus patientiæ sequester est, si iniuriam deposueris penes eum vltor est, si dolorem, medicus est. Tu verò homo Christianus, & Theologus, tuiipsius (quo autem Iure nescio) vltor, vindex, medicus & sequester esse voluisti.

Hieron. ad demet. Ambros. ser. 6. Psal. 118. Tertull. lib. de patient.

Tertull. vt suprà.

An D. Iacobus Andreæ Cuculo conuiciatus sit?

ID sæpius sanè dicit ille, sed nunquam probat, nisi quòd semel quædam his verbis mussitat: Tam verè mihi Iacobus " Pag. 4.
Andreæ

„ *Andreæ obijcit hypocrisin, perfidiam & leuitatẽ, quàm verè olim*
„ *in Synodo Tyria Athanasio obiecta sunt hæc tria ingentia scelera,*
„ *magiæ exercitia, cædes Arsenij, & adulterium. De his ergo videa-*
mus.

De leuitate Cuculi, siue perfidia.

*ATh*anasius adulterij ab aduersarijs Eusebianis accusatus, ita suam innocentiam (Ruffino & Theodoreto testibus) probauit. Vocatus in Synodum Tyriam comparuit, Præsbytero Timotheo comitatus, producitur mulier quæ ex composito Athanasium adulterij reum facit. Tacet Athanasius, at Timotheus quærit, mihiné ô mulier vnquam res tecum fuit, anné tuo vnquam vsus sum hospitio? Cui illa, ita, tu mihi vim, tu vitium obtulisti. Sic figmentum proditum, & fabula in autores recidit.

Vtinam verò Cuculus à perfidia & leuitate tam facilè purga-
re se posset, sed longè aliter res habet.

Pag. 4. „ *Primò enim fatetur se Melanthonis & scriptorum eius sem-*
„ *per fuisse amantissimum. Deinde se cùm Tubingam peteret, Vuirte-*
Ibid. „ *bergam abiturum fuisse, quam sibi delegerit, nisi à suis admonitus*
„ *& impeditus fuisset, quod fuit anno sexagesimo secundo.*

Pag. 4. „ *Præterea se Tubingæ in lectionibus sæpius subtristem fuisse,*
„ *quòd audiret magnos viros (Cinglianos) hostiliter perstringi. Insu-*
Pag. 5. „ *per etiam memoria quorundam, qui vbiquitariam Chymæram nun-*
„ *quam professi essent, solatum se esse. Tandem nostrorum definitio-*
„ *nem, vnionis hypostaticæ Melanthonianæ oppositam, cui assueuis-*
„ *set: item confusionem articulorum fidei, de incarnatione Verbi, de*
Pag. 8. „ *ascensione in cœlum, & de sessione ad dexteram Dei (sic enim ille*
„ *coccysat) sibi displicuisse ait. Hac tamen conscientia illam defini-*
tionem & vniuersum negocium publica Disputatione defendit, hac
fronte & conscientia publicum & summum in illa Schola gradum
& testimonium petijt & consecutus est. Hac conscientia iureiu-

rando

rando se deuinxit, velle se in ista doctrina constanter perseuerare. Hac conscientia postea operam suam Marchioni Badensi Carolo piæ memoriæ, obtulit, iuramento etiam procul dubio ad eam doctrinam astrictus: hac conscientia professoris Theologi locum in schola Tubingensi, & votis, & priuatis literis ambiuit: hac conscientia Brentio filio adulatus etiam anno sexagesimo octauo scripsit: De tua præstantia plurimum mihi polliceor, & silentium tuum occupationibus ascribo. Incomparabili autem viro, Domino parenti tuo, vt me diligenter commendes, maiorem in modum rogo, cupio enim vt bonis omnibus, ita illi præcipuè, fidem & studium erga ipsum meum approbare: & similia penè infinita. An verò hoc pacto à leuitate & perfidia tam sit alienus, quàm ab adulterio Athanasius, eius rei iudicium esto penes alios.

De hypocrisi Cuculi.

ATHanasius, cùm non ignoraret cædem Arsenij in Synodo sibi obiectam iri ab aduersarijs, missis hinc inde familiaribus, inuestigari Arsenium, & inuentum clàm Tyrum adduci curarat. Cùm itaq; Eusebiani arculam, atq; ex ea Arsenij manum protulissent, & quam illi cæso Athanasius abscidisset, exhiberent, quærit Athanasius, num quibusdam illorum notus esset Arsenius: annuentibus istis, producitur Arsenius, agnoscitur, & cũ vtramq; manum illæsam ostendisset, dixit Athanasius, nũ quæritis & tertiam?

An verò consimili ratione candorem suum Cuculus noster probare nobis possit, vt quidem gloriatur, id videamus.

Hypocrita est, inquit Hieronymus, omnis, aliud simulans, aliud agens, & rursus: Hypocrita apellatur, qui aliud est, & aliud simulat. Ex his, quantus hypocrita noster ille sit, facilè demonstrabimus. Hieron. cap. 22. Matth.

Gratias ago (inquit Cuculus) toto pectore Domino meo Iesu Christo, quòd is mihi dedit, vt veritatem & pacem diligam & inquiram, Thesis. 1 Pharisæus. Pag. 3. Luc. 18.

„ ram &c. Nec certè vnquam pro infensissimis hostibus Dominum
„ Iesum precari desisterem, vt eis meliorem mentem largiri dignare-
Antithesis. „ tur.

Audiuisti pie Lector Phariſæum de precibus gloriantem, iam
si vis, orationis formulam accipe.
Pag. 72.

„ Video nihil proficere hominem, & illius amentiam magis ma-
„ gisq; notam fieri omnibus hominibus. Scrutatur quidem ille iniqui-
„ tates, perficit scrutinium scrutatum, & intimum cuiusq; & cor pro-
„ fundum. At ego non dubito, paulò pòs & ipsum & alios, qui ita
Thesis 2. „ hostiliter nos insectantur, sensuros vindicis Dei manum. Iaculabi-
Pag. 3. „ tur eos Deus sagitta, repentinæ erunt plagæ eorum: Et impingere
„ facient super seipsos linguam suam, & trepidabunt omnes videntes.
„ Hactenus piæ præces. Etsi atrocissimo scripto Iacobi Andreæ me
„ affici nonnihil potuisse animaduerto, quia tamen assiduè meditor il-
„ lud Apostoli: Si probris afficimini beati estis &c. Cum Dauide to-
„ to corde pronuncio: Sinite eum, vt mihi & alijs viris bonis maledi-
cat, quia dixit ei Iehouah.

Pag. 20. „ Audiuisti pij Regis verba, audi & impij Doegis vel Semei cu-
Antithesis. iusdam sententiam.

„ Expectandum nobis est id tempus, quo in Iudicium suum Deus
„ hominem istum pertrahet. Atq; equidem mihi persuadeo, sic tumul-
„ tuantem in Ecclesia, Bacchanalia palàm viuentem, & choræas ac
„ tripudium in conspectu lugentis, in tot locis Europæ, Ecclesiæ exer-
„ centem: fato extremo esse vicinum. Vides quid meditetur assiduè.
Thesis 3. „ Longè autem alia ratione meam tuebor innocentiam, & sanctum
Pag. 4. „ in tuenda veritate & pace studium, quàm qua ille, odio & æmula-
„ tione ardens, & quæcunq; dictabat splendida bilis euomens, est vsus.
„ Veritate enim charitateq; certabo: vanitatem & odium, quibus me
„ oppugnari sentio fumi euanescentis instar discutienda esse, persua-

sum

sum habens. Et hoc quidem est: Aue Rabi: Nunc Iudam vide. " Antithesis
Manifesta sunt argumenta hominis traditi à Deo in mentem om- "
nis iudicij expertem, facere quæ minimè conueniebat, oppletum Pag. 1.
esse inuidia & malignitate, susurronem, obtrectatorem, contume- "
liosum, superbum, glorioſum, inuentorem malorum, charitatis "
expertem, implacabilem, immisericordem denique esse. "
"

Hæc autem omnia Iacobum Andream multis iam annis fe- " 4. Thesis.
cisse, & etiamnum agere, Scripta & Acta illius testantur. Et " pag. 4.
hæc quidem charitas est, qua cum Præceptore certat Cuculus, & "
sanctum pacis studium. Vt autem ex toto meo corde Deum oro, "
Iacobo Andreæ, me & alios maledictis proscindenti, vt clemen- "
ter ignoscat, &c. ita eundem oro, vt mihi det, ne in hoc Apologe- "
tico scripto, quicquam aliud, quàm quod ipsi placet, & Ecclesiæ
vsui esse poterit, profiteri possim.

Quàm pium verò pectus, quàm apertum, quàm candidum?
Nisi quòd Hypocriseos cœno lutoque conspurcatum & " Antithesis.
oblinitum est: Sic enim alibi. Benè habet quòd etiam Tubingæ non " pag. 62.
desunt, qui quum te publicè, summa cum confidentia nostris ali- "
quid affingentem, audierunt, postea inspectis nostrorum hominum "
libris, mentitum te esse deprehenderunt. O miserum mancipium, "
cui hoc euenit toties? & cui etiam iuranti per salutem animæ "
tuæ (accepimus tibi Christiano homini istud solenne esse) nemo "
cordatus facilè fidem habeat. Hæc scilicet Deo placent, & in- 5. Thesis.
primis Ecclesiæ vsui sunt. Mihi autem & alijs Iesu Christi ser- pag. 4.
uis, per gloriam & ignominiam, per conuicia & laudes, ser-
uiendum est Domino, qui Iudicium sibi omne seruauit.
Sic luscinia, audi iam Cuculum.

Bene habet inquit ille, quòd licet homicidarum, qui " Antithesis
nulla humana Iudicia verentur, exemplo, prætumida ani- " pag 48.
"

matus fiducia, mendacijs aspergis & Martyrem & alios: tamen
» vicinus es tribunali Dei iusti Iudicis. Paulò pòst peccatum tuum
» expergiscet. Interea eo nomine coram tota Ecclesia abominandus
» es, quòd tua sibi ipsis mendacia mentiuntur (vt loquitur Chrysosto-
» mus) & faciunt, vt nemo qui te nouit, fidem tibi habeat. Ita scilicet
6. Thesis. pag. 5. » hic Christi seruus per conuicia Deo seruit: Vtinam verò sic institue-
» re defensionem meam possem, vt aduersarij tam infesti, & saluti
» & honori ea quoque seruiat. Nolim enim meum honorem, & in-
» nocentiam in hac causa meam, sic tueri, vt cuiusquam alterius
Antithesis. » existimationem apud bonos, vel tantillum decederet.
pag. 63. Et hoc quidem osculum est, iam verò accedit proditor.

» Stolidum autem tuum commentum est & opinio, quam sycо-
» phanticè mihi affingis. Neque mihi vel querela vel defensione ali-
» qua opus est, quando tibi placuit capita Disputationis meæ, tuæ in-
» ferere confusioni potius, quàm confutationi. Ex illis enim pius Le-
» ctor deprehendet, te sine mente & fronte, commentū tuum mihi af-
» fingere. Sine mente quidem, quia non vides confutatum esse tot locis
» meæ Disputationis: sine fronte, quia audacter admentiris, etiamsi
» nemo fidem sit habiturus: nemo inquā bonus & prudens. Et sic qui-
» dem sine alterius iniuria, suam innocentiam tuetur ille. Respondi,
» inquit Cuculus (iuueni cuidā, Iacobi Andreæ nomine, salutem nun-
7. Thesis. pag 12. » cianti, qualem ipse Cacadæmon non eructaret) me orare Christum
» vt illi ignoscat, mei autem honoris & salutis inprimis eam quam
» hactenus curam haberet.

Anthitesis. pag. 66. Dicas te Angelum quendam audire, sed attende collaphos Sathangeli.

» Misereatur tui Deus I. A. qui quum aliorum doctor esse ve-
» lis, in meridiana luce ita cæcutis, vt nescias quid affirmes. Sic
» haud dubiè vlciscitur iustus Iudex Deus noster tuam inso-
8. Thesis. » lentiam. O pias, ô sanctas preces. Quæris amice Lector, quid
»

ipse

ipse interea egerim? quum me ita peti viderem, ad preces confugi, " Pag. 13.
& Christum pro me, & pro aduersario comprecatus sum, vt me quidem "
tueretur, Iacobum autem Andream liberaret à spiritu oris & "
vertiginis. "

Quid simulet audiuisti, iam quoque quid agat accipe. Pag. 25.

O profligatissimam in Iac. And. mentiendi audaciam: quæ facit, " Antithesis.
vt sicut Araneus ex se fingit, ita ille mendacia ex seipso proferat. "
Increpet autem te Deus Sathan. "

Et sic quidem hypocritæ huius oratio velut incensum dirigitur in conspectu Domini.

Hortabor alios, vt cæteras eius viri dotes agnoscant: personam " 9. Thesis.
quam sustinet in laudatissima schola Tubingensi, vt virtute potius " Pag 33. & 34.
quàm morositate tueri possit, optabo, eamq; venerabor ipse. "

Verba equidem bona, nisi eius hominis verba essent, qui verba dare consueuit.

Vt quod res est edicam (ait Cuculus) eiusmodi hominis, donec Antithesis.
non mutat ingenium, magis pestilens est amicitia, quàm inimicitia. Pag. 30.
Vt lenti securidaca, hordeo festuca, quæ Ægilops dicitur, ita "
nobis quorundam diuersam doctrinam docentium, coniunctio pla- "
nè est recusanda, donec pestilente fermento, massam doctrinæ Chri- "
sti corrumpere non desinunt. Et ita quidem Præceptorem venera- "
tur, ita dona eius agnoscit, & personam commendat.

Si hunc hominem, qui ita mihi maledicit, spectes, non tam perso- " 10. Thesis.
næ publicæ, quam sustinet (cuius etiam gratia eum in prætio habe- " Pag. 18.
re cupio,) quàm humanæ illius infirmitati (vt mollissimè loquar) "
esse tribuendum existimo, peccat enim etiam sapiente sapientior, "
vt habet vetus dictum.

Audis Charetis sollicitationes, & solidos è Clibano boues: Iam Antithesis.
verò vix asini vmbram. Pag. 33.

Fruatur, inquit Cuculus, ipse suis delicijs, Ego iuuentutem post- "
hac hortabor, vt aliorum potius, qui aduersæ partis opinionem pro "

„ virili, maioreq; modestia, tutati sunt, libros legat, qui & puriore
„ oratione sunt conscripti, & non habent tam multa artis maledicen-
„ di specimina. Poterit ille si volet, Aspendij tibicinis more, sibi ipsi
„ priuatim canere. Viden' in quanto prætio habeat Præceptorem.

11. Thesis. Pag. 23. „ In nomine Domini nostri Iesu Christi, qui in deiectione nostra,
„ memor nostri est, & seruis suis nunquam non dexter vbiq; genti-
„ um adest, eosq; exaudit & tuetur, pergam ei seruire in sacro hoc
„ instituto, iniurias, calumnias, breuia incommoda magno ferre ani-
„ mo non recusans, quia instat nostra immortalitas, & redemptio no-
„ stra nobis certè exoptatissima. Audis sacrum institutum, sed quale
„ illud sit videamus.

Antithesis. Pag. 22. „ Tum demum illi tibi credent, vbi tuo more exhausto, cum sa-
„ lutis tuæ periculo & diris, vini Cyatho, fidem ipsis feceris, te illis, si
„ mentiantur, quoq; habiturum esse fidem. Non eram pie lector (ait
„ Cuculus) istarum rerum mentionem facturus, nisi à crapula orta
„ intemperies istius hominis, id promereretur: & larua detrahenda
„ esset Cumano caballo.

His nimirum subsidijs redemptionẽ exoptatissimã ille expectat.

12. Thesis. Pag. 21. Ego verò conuicia mihi contemnenda esse iudico: ac valde de-
„ lector illa commemorabili beati Hieronymi sententia: Nos in Dei
„ iniurijs benigni sumus, in nostris contumelijs exercemus odia. Pla-
„ cet & illud Augustini: Iniuriæ virum fortem probant.

Sed Crocodili lachrymas esse sequentia testantur.

Non reclamare oportet latratibus eorum, inquit ille, qui in cœ-

Antithesis. Ead. Pag. „ nobiorum latebris post lauta conuiuia, (Bacchico æstuantes Zelo)
„ lingua bellare solent, homines à Canina facundia alieni. Sic virum
„ fortem se nobis probat ille.

13. Thes. Pag. 21. „ Nobis propositum est sine aliorum infectatione verbum verita-
„ tis rectè secare: adiungere pias preces, & gratiarum actiones ad
„ Deum, conuicia & iniurias aduersariorum, Christi causa perferre:
„ opus Domini vrgere: & conscientiam Domino Deo nostro per il-
„ lius gratiam probare, mundi insultus ideo non extimescere.

Audisti

Audisti hominem flentem ad nouercæ tumulum, audi etiam pias preces adiungentem.

At enim quantò periculosior est vbiquitas, (ait Cuculus) quæ vnum eundemq; hominem, concionatorem Ecclesiasticum, Consiliarium aulicum, Bebenhusianum Monachum, Venatorem, Professorem, Volaterranum, Metiochum deniq; facit? Ita sine aliorum infectatione verbum Dei secat ille. " Pag. 31. " Antithesis. "

Quid aliud dicam piè lector, quàm me & alios honestos & pios viros, paratos gloriari in contumelijs, quibus Christi causa afficimur? seruile est ad omnia conuitia respondere, omnia despicere stultum: vt censuit Plutarchus. " Thesis 14. " Pag. 77. "

Quàm sanctus hic martyr est? imò Simia fucata est, & Cerussa stibioq; tincta facies, audi enim quid coccysat.

Vobis graculis silentium dux noster Iesus Christus imponet, cùm vos, si impœnitentes esse perrexeritis, sternet sub pedes eius, adest iudex pro foribus, quem læti præstolamur, quem vobis irasci videmus, quem tum demum vobis propitiũ etiam iudicabimus, vbi abiurato vbiquitario dogmate, Christum in carne veniisse vna nobiscum sincerè credere ad iustitiam, & ore prõfiteri ad salutem, animaduerterimus. " Antithesis. " Pag. 38. "

Hic amice lector beneuolus ille trucidator est, hic eius melle litus gladius, illud subæratum eius aurum: An non idem de Megarensi hoc, quod Alexander Macedo de Antipatro, nobis dicere liceat: Foris albo vtitur pallio, intus autem totus purpureus est. Etenim si quis omnium fuerit qui istud sententiarum dissidium componere, & sine Hypocrita reconciliare sibi inuicem possit, eum nos vt singularis industriæ artificem meritò commendabimus.

Sed quare Cuculus non cogitauit potius illud Syracidis: Ne fueris hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labijs tuis. Attende in illis ne fortè cadas, & adducas animæ tuæ inhonoratio- ' Syr. 8.

rationem, & reuelet Deus absconsa tua, & in medio synagogæ elidat te: quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo & fallacia. Aut illud Esaiæ: Omnis Hypocrita est & nequã, & vniuersum os locutũ est stultitiam. Quare non meminit illud Augustini? Non vnicit in bono malum, qui in superficie bonus est, & in alto malus. Et rursus: Simulata innocentia non est innocentia, simulata æquitas, non est æquitas, sed duplicatur peccatum, in quo & iniquitas & simulatio est. Quare non tibi, Cucule, Hypocritæ pictura apud Hieron. in mentem venit: Omnes Hypocritæ, inquit ille, quod in prima facie ostendunt, ex ratione sanctitatis est, Bestiale autem est, quod sequitur corpus: Vides Cucule, te penè Chimæram esse? Quantum verò id coniunctum est tuo cum periculo: Non venit in conspectum eius (Domini scil.) omnis Hypocrita, inquit Iob. Vnde & Gregorius ait: Hypocrita delectari in Deo non valet. Et Theophylactus: Qui Christum, inquit, discunt, hypocrisin fugiunt, Christus enim cùm sit veritas, mendacio aduersatur, omnis autem hypocrisis mendacio plena est. Et alibi: Spinæ & tribuli sunt hypocritæ. Et Augustinus: In omni vita humana, quisquis vult videri quod non est, hypocrita est. Simulat enim iustum & non exhibet, quia totum fructum in laude hominum ponit, quam etiam simulantes possunt percipere, dum fallunt eos quibus boni videntur. Sed tales ab inspectore cordis Deo mercedem non capiunt, nisi fallaciæ supplicium.

Esa. 9.

In sent. prosp. ibid.

Hieron. cap. 4. lament Hierem.

Iob. 13.

Cap. 27 in Iob.

Cap. 12. Lucæ.

Matth. 7.

August. de ser. Dom. in mon. lib 2.

Iam verò vt morbi causa cognita, mederi citius possis & facilius, Augustini illud memineris: Ex matre superbia, & humanæ laudis cupiditate generatur hypocrisis. Et istud Hieronymi: Hypocritæ quodlibet faciunt vt ab hominibus glorificentur. Quibus si illud Iobis addideris, optimè nisi fallor tibi consules: Laus (inquit ille) impiorum breuis est, & gaudium hypocritæ ad instar puncti. Si ascenderit vsque ad cœlum superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant

August. Epist. 64.

Hieron. cap. 6. Matth.

Cap. 20.

derant dicent: Vbi eſt: Velut ſomnium auolans non inuenietur, tranſiet ſicut viſio nocturna. Oculus qui eum viderat, non videbit, neq; vltrà intuebitur eum locus ſuus. Filij eius atterentur egeſtate, & manus illius reddent ei dolorem ſuum. Oſſa eius implebuntur vitijs adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient. Cùm enim dulce fuerit in ore eius malum, abſcondet illud ſub lingua ſua. Parcet illi, & non derelinquet illud, & celabit in gutture ſuo. Panis eius in vtero illius vertetur in fel aſpidum intrinſecus.

Dixi hactenus de timido & tumido Cuculo, dolis & fraudibus eius multiplicibus, ſcabie varia & abominabili, impietate quoq; ingratitudine, immodeſtia, leuitate & hypocriſi deteſtãda, quorum niſi dudum eum pudet, frontem perfricuiſſe nemo dubitet.

Calumniarum & conuitiorum quorundam Cenſura.

SVb quouis lapide Præceptorem ſuum ſcorpium quærere Cuculus ait. Reſpondeo. Erras mi Cucule, & longè erras, nam ſub vno tantùm lapide ſcorpium & quæſiuit & inuenit, ſcorpium inquam venenatiſſimum, à quo vno & ſolo, tot ictibus ſe petitum & violatum dicit, vt pluribus non poſſit, ſi quolibet ſub lapide ſcorpius latuiſſet.

1. Primò enim vel in ipſo titulo ſcorpius pungit, monſtroſas calumnias Præceptori tribuens. Reſpondeo: Niſi monſtrum Theologicum ipſe eſſet, id monſtrum nunquam ſcripſiſſet. Monſtret enim Cuculus monſtroſas illas quas dicit calumnias, & demonſtrabimus ei nihil monſtroſi habere, niſi quòd ipſi monſtro hominis, etiam ipſa rerum natura monſtrum videatur.

2. Præceptorem ſuum truculentiſſimo ſcripto, diſputationem eius aggreſſum conqueritur, à qua tamen nec dicto nec facto læſus

sit. Respondeo. Tollat te qui non nouit, meretricis enim frontem vobis esse, qui nescit, illum in alio mundo hactenus vixisse oportuit. Et vt nugas tuas & vanitatem videant, etiam qui talpis cæciores sunt, attende. Sententiam nostram (quam tu incertam opinionem dicis) vocas ineruditam, agrestem, absurdam, inconuenientem, sibijpsi non cohærentem, falsam, erroneam, falsissimam, manifestè absurdam, figmentum, papisticum commentum, Cardinalis Cammeracensis nugamentum, Sophisticen multiplicem, Thesin funestam, ignotam toti vetustati Orthodoxæ, ex Eutychianismo ortum ducentem, ordini diuinitus sancito è diametro repugnantem, qua nobis falsò arrogemus ea, quibus nemo alius quàm Spiritus sanctus defungi possit, quasi doceamus sanctum dandum canibus, quasi impiorum suscipiamus patrocinium, quòd introducamus vocem tristissimam (de impiorum manducatione) veteri Orthodoxæ Ecclesiæ inauditam, quòd rectè data auferamus, bene concessa rursus negemus, sententiam inquam, ex qua sequantur absurda, à quibus piæ & liberaliter institutæ mentes (ergò omnium Electorum, Principum & ordinum Imperij nobiscum sentientium, nec piæ mentes sunt, nec liberaliter institutæ) abhorreant, ex cuius Cadmæa defensione, tum alij errores, tum articulorum fidei confusio secuta sit. Et hæc pauca, puto sex vel septem tantùm thesium modestia est: Quid si quis per ocium reliquas audire posit? Et tamen nec dicto nec facto nos læsos ait, quanta hæc est impudentia? quanta vanitas? quàm frons perfricta?

3. Præceptorem conseruos hostiliter cædere asserit: Respondeo. Si quoties tam hostiliter & impudenter calumniaris, toties in mala pugnus hæreat, nemo, opinor, iusiurandum dabit, indignum te iniuria hac, factum nolle. Et an non satius esset Cucule, à Præceptore tibi os percuti, quàm vt te Deus percutiat, paries dealbate? Dupliciter igitur impingis, neq; enim te magis conseruum nostrum agnoscimus, quàm aues cæteræ Cuculum, quibus omnibus propter naturam

naturam & ingenium exosus est. Neq; etiam te cæsum aut læsum à nobis fatemur, nisi cæcidisse dicendus est Præceptor, qui discipulo errata placidè commonstrat.

4. Leonem plumbeum Præceptorem appellat iste Lysimachus. Respondeo. Nisi vel tu plumbeus esses, vel Præceptorem plumbeum credidisses, nunquam tantis conuicijs indignis modis ipsi insultasses. Verùm quia leo est, & generosus leo, ideo in te plumbeus esse voluit. Nam vt Plinius ait, est quædam Leonis in supplices clementia, parcit subiectis, id quod tu nunc experiris, qui prostratus, sacrum & religiosum silentiũ supplex promisisti. Etsi autem tibi fortè leo non est, tamen Mentor Syracusanus est, qui leonem, demisse ipsum sequentem lambentemq; vestigia, misertus, extracto ex pede surculo, tumore liberauit: Vtinam verò & tu, sicut olim, Mentoris lamberes vestigia, vt curare ille, non pedum, sed animi illum tumorem tuum posset. Istud tamen monere te obiter volui: non mox leo est, qui leonina contectus ingreditur, sed ex vnguibus leonem agnosci aiunt, quod si ita est, vide mi homo, si tui inspiciantur, ne pro leoninis vnguibus, Arcadicæ vngulæ deprehendantur.

5. Iam & istud ridiculum est, quòd Susurronẽ Præceptorem suum dicit, insusurrare fortè ei dicitur, qui ita mussitat, vt ambæ aures ex susurro tinniant.

6. Superbũ etiã & glorioſum Præceptorẽ esse nugatur: Atqui cùm imperitũ artis alicuius, suum temerè iudicium interponere non conueniat, tu verò hominum mansuetissimus, omnis fastus & ambitionis planè expers sis, an non cæcus de colore pronuncias?

7. Fontem sine aqua facit Præceptorem suum, à quo quid præclari, ait, discere potuissem, cùm fontes sitirent ipsi: Respondeo. Fortè tu iam antè ex fonte ceano biberas, qui sensus hominis hebetare dicitur, vt stolidus nihil eorum quæ docerentur, intelligeres. Aut ex fonte Orchomenio in Bæotia, quem obliuionem adferre bibentibus aiunt, vt audita fideli memoria non possis recondere.

Et si ita erat, quare non mi Cucule Clitonium lacum adibas, qui etiam inebriare, bibentes legitur. Sed penè video quid tibi acciderit: In Macedonia non procul ab Euripidis poetæ monumento, duos diuersæ virtutis riuulos confluere aiunt, alter enim potus est saluberrimi, alter verò planè mortifieri, priore neglecto, ex mortifero illo tum hausisti auidè, quòd sitiebas, venenum, vt & tibi & alijs, præsentissimæ mortis causa factum sit.

8. *Tribuit etiam Præceptori Aspidis venenum, illud autem aiunt esse omnium periculosissimum. Verùm miror ego Cucule, ruditatem tuam & insciti am, qui Medico tam erudito, Erasto inquam, tanto tempore consueuisti, affinitate eius tam fœliciter vsus, vt etiam hoc scripto Hypocratem & Paracelsum citare dexterrimè possis, ignores tamen præseruatiuam tam præstans, contra venenum adeò pestilens, Cacabum appellant alij, alij Strychnum & solanum, & quod nescire minimè debebas Cucule, vulgo Cuculum vocant. Sicut ergò qui à scorpionibus icti sunt, ab ijsdem remedium petunt, ita Cuculus à Cuculo petet medicinam, & curabitur. Sed quia frustra fortè iam moneo, & quod dicitur post festum, tamen ne me à medicinæ studio prorsum alienum iudices, ecce tibi meum, si obtemperare velis, consilium. Abstineto aliquamtisper à vino, Baccharachico præsertim, quia calefacit nimium, & commensalibus illud, quorum est confirmatior valetudo, liberalius infunde, & tu aceto vtere. Nesciunt (ait Plinius) etiam ipsi medici, quantum contra Aspidis venenum polleat, quod & hoc nomine tibi non oberit, vt, (quia multum refrigerat) illum tuum, quamuis non præternaturalem calorem, saltem aliquo modo restinguat.*

9. *Odio etiam & æmulatione Præceptorem ardere, garrit: Sed quare tu mi Cucule non quamprimùm charitate & mansuetudine ignem hunc extinguis, priusquam vires sumat, vbi tamen monendus mihi aliquid es, videlicet, non esse illud Chimæræ incen-*

incendiũ, (quod aiunt) aqua infusa magis accendi, ideo fimo restinguendũ esse, non est (inquam) eiusmodi conflagratio, vt conuiciorũ fimo & stercoribus tuis opus sit, sed odio ambitionis, & fastus tui Theologici ardet, si ardet, eum si tu possis subruere, de reliquo incendio nullum esset periculum.

10. *Nolim (inquit Cuculus) honorem & innocentiam meam ita tueri, vt cuiuscunque existimationi vel tantillum decederet. Audis in Cuculo charitatem confictam: sed si ita est Cucule, quare suggillas vniuersum Theologorum & Ministrorum Ecclesiarum huius Ducatus ordinem, sub tecto Hechingensis Latini nomine? Quid insultas omnibus omnium ordinum hominibus, quibus eadem est cum D. Iacobo Andreæ confessio, & qui sua subscriptione formulam Concordiæ (quam plastam tu vocas) approbarunt. Quare acerbè admodum perstringis, interdum rides etiam D. Lutherum, Beurlinum, Marbachium, Kirchnerum, Patientem &c. Sed eò æquiore animo ista ferre possumus, quòd videmus te ne ijs quidem parcere voluisse vel potuisse, à quibus ad functionem Ministerij Ecclesiastici vocatus es, quibus hanc reddis gratiam, quòd scilicet nec conscientiæ, nec officij sui ratione habita, te Ministerio Ecclesiastico adhibuerint, (cùm præsidijs Theologicis non satis esses instructus, vt « paulò pòst Academia, vberioris cultus ingenij parandi gratia, tibi « repetenda fuerit) vsque adeò sine aliorum vituperatione, honorem « tuum (quem dicis) tueri non poteras.*

11. *Quæ de Anthistene Philosopho adducis, accipimus, & hinc adeo est quòd gratulamur nobis, esse nos tot & tantis conuicijs exceptos ab eo homine, à quo laudari non est satis integrum. Et cùm videam te Anthistenis Philosophia mirificè delectari, vt etiam illud meminisse velis hortor: Ingressus enim aliquando ad Platonem, vt eum ægrotantem inuiseret, conspecto in pelui Platonis vomitu: Bilem (inquit) Platonis video, sed fastum non video. Vtinam verò tu cum splendida bile, etiam simul omnem fastum euomuisses, tum verò res tuæ inciperent habere meliusculè.*

12. *Sinceram doctrinam de persona Christi, vbiquitariam Chimæram esse ore blasphemo coccysat. Respondeo. Postquam Christum cœlo captum, vestrisq; constrictum vinculis, ceu immiti carcere detinetis, impunè nimirum vobis ista licent. Atqui operam date ô Cuculi, ne quando Samson ille ruptis his vinculis, & nouis vestris funibus dissipatis, vos Philistæos in maxilla asini amplius etiam percutiat. Et quare Chimæra vobis pia doctrina est, num ideo quòd vt Chimæram olim serpentes & Dracones infestarunt, ita vos, gigantum posteritas, maiestatem Domini nostri Iesu Christi oppugnatis, sed desinite ludere: Flammis armata Chimæra est.*

13. *Plistarchus, cuidam referenti: quòd à maledico quodam laudaretur, respõdit: Miror quis nam illi dixerit me mortuum esse, innuens, de viuentibus eum hominem non bene loqui. Cuculus verò etiam in defunctos impius & iniurius est, D. Beurlinum præsertim, & quia eius viri filia mihi matrimonio iuncta est, non conuenit me hanc contumeliam negligere. Caluinianismi ergo pestilentissimi illius dogmatis, Cucule, eum virum insimulas. Si autem non mentiris flagitiosissimè (liceat enim mihi hîc tuis te compellare verbis, & scapham scapham) si inquam, non mentiris flagitiosissimè, age, coccysa nobis: Primò anné hunc virum vnquam videris vel audieris: deinde anné opusculorum eius aliquod legeris, an inquam, folium vnum, vnam paginã, aut paragraphum vnum. Si legeris vnquam, dic lineam, dic verbulum, dic vnicam tantùm syllabam, quæ hunc virum huius excrementi vel suspectum reddere possit, age dic si vir bonus es, si vllus tibi supersit candor, si frons, si pietas, si pudor, si conscientia. Iam quanta sit tua vanitas docebo amplius.*

Vixit superioribus annis in hoc Ducatu Minister quidam Bartholomæus Hagenius, ex Caluini Epistolis non prorsus ignotus: hic postquam Caluino innotuisset familiarius, mox ex illa consuetudine (vt fit) eiusdem etiam contraxit scabiem, tũ verò conuocata Theologorum & ministrorum præcipuorũ huius Ducatus Synodo, actum

cum

cum illo fuit, qua per erat & clementia & humanitate, atque soceri mei piæ memoriæ operâ, qua Dominus tum vti voluit, in viam ille reuersus est. Eodem tempore conscripta fuit & edita ea ipsa confessio, quam ille, quem nosti, qualis esset, venustius se significare non posse, scripsit, quàm si dicat esse Hechingense Latinum. Eam confessionem etiam sua manu D. Beurlinus subsignauit. Si itaq; Cuculus vanissimus haberi non vis, & Cretense mendacior, subscribas ei confessioni, & manifestum fiet, eandem tum eius fuisse, quæ hodie tua est, Matæologiam: Quòd si tergiuerseris, palàm affirmo, non quidem tui lædendi, sed illius honoris & existimationis vindicandæ gratia, te cùm hæc scriberes, viri boni officio minimè functum, atq; bonorum virorum amicitiâ & conuersatione indignum tantisper, donec de ista iniuria te legitimè purgâris nobisq; satisfeceris.

14. Cani etiam rabido Lunam allatranti Præceptorem suum confert. At ego Cucule, te, ne cum sano & incolumi comparare ausim, quòd huius animalis fides & (vt sic dicam) in Dominos pietas notior sit, quàm Cuculi in nutricem. In Epiro, homicida, qui Dominum interfecerat, à cane agnitus latratu & laniatu proditus, fateri scelus coactus est: tu verò Domini & Præceptoris etiam tui proditor scelestus factus es.

Ne tamen iure possis conqueri, ea etiã quæ debeantur tibi, à me denegari, age in quibusdã canẽ te esse nihil pẽitus dissimulo, vtpote: Canis timidus vehemẽtiùs latrat: et, canis nimiũ festinans cæcos parit catulos. Inprimis aũt illud: Canis rediens ad vomitũ, & similia.

Istud verò bene habet quòd cani lunam allatranti Præceptorem similem dicis. Quid enim Lunæ à cane possit esse periculi. Atqui ingentes illi Molossi, qui & Præceptores, & quoscunq; viros de Ecclesia Dei benemeritos canina facundia lacerant, hi verò mi Cucule, hi canes rabidi sunt.

15. Serpẽtẽ quoq; & Draconẽ Præceptorẽ suũ facit, in quo plurimũ aberrat. Serpens enim (vt in Prouerbio est) nisi plures serpentes

vorarit

vorarit, non fit Draco, ille autem cùm gregalium tuorum deuorarit neminem, te verò serpentem etiam in sinu fouerit, quomodo Draco erit?

16. Hîc verò & Saul inter Prophetas, ait enim Cuculus, sibi per laudes & conuicia seruiendum esse Domino. Vtrumq; sanè egregiè præstitit, sicuti enim & seipsum & Amphyctionicum confessum suum laudibus ad cœlum vsq; vt ipsis adulando inseruiret, extulit, ita aduersarium vt cultum Deo præstaret, conuicijs & calumnijs opprimere penitus conatus est. Quòd si singula conuicia dicas esse singula sacrificia, & odorem suauitatis Domino, ipsum etiam Salomonem sacrificiorum numero longè superauit.

17. Sed in eo anser inter olores est, quòd commiserari se vicem Præceptoris ait. Etenim si Antiquitatem eruditam, ita vt videri quidem vult, euoluisset, non eum qui iniuria afficitur, sed à quo infertur, lachrymis & commiseratione dignum, didicisset.

18. Ignarium sese mortalitatis suæ sentire dicit, ideoque & voce & exemplo prodesse iuuentuti velle, priusquam ad cœlestem Academiam traducatur: Sed quid ille profit? num vt doceat non entis esse accidentia, aut prædicatiões inusitatas penitus nullas esse? Vtinam verò non obsit, ita enim res eius sese habent, vt & vocem & exemplum eius piæ iuuentuti fugiendum existimem. Nam vox rauca est & lepram innuit, exemplum verò quale sit, hi coccysmi eius testantur, nimirum impij & ingrati Cuculi, ambitione & fastu adeò tumidi, vt penè crepet medius. Quæ autem de ignario dicit, in mentem mihi venit illud Bionis, qui ludens ait: Facilem esse viam mortis, quando homines eam clausis oculis ingrediantur. Vtinam verò ô Cucule, quò ea facilior & tibi sit, posßis clauso maledico ore eam ingredi.

19. Scorpionibus nonnullis esse geminos aculeos Plinius autor est: id ex nostro apparet, qui vno ictu duos vel plures etiam vulnerat. Etsi enim in petitione summi gradus quicquam à se ambitiosè factum

factum perneget (quod credent fortè ij, quibus ille ignotus est.) tamen eodem paragrapho ait, se ideo illud testimonium augustum petijsse, quòd sese Brentio filio cui collatum id esset, doctrina nihil inferiorem esse crederet. Vbi duos pungit (vt arrogantiam eius nunc præteream) & eum cui collatum testimonium est, & qui contulerunt. Sed D. D. Brentio, cùm & in schola & Ecclesia locum & gradum suum cum laude tueatur, Apologia mea nihil opus est.

20. De thesibus suis ait, fuisse MVLTA, quæ vera esse non dubitaret: Ergo qua est vanitate, in loco tam illustri defendenda suscepit publicè, quæ minimè vera esse, nihil dubitaret ipse? O verecundum ingenium. Nam quòd addit, non sumebam mihi iudicium, & speserat vt collatis sententijs veritatem plenius agnoscerem, quale sit cogita Cucule: scilicet, qui in loco amplissimo, pro consequendo summo in Academia gradu, Theses, & quidem Theologus, publicè tuendas sibi sumit, non sumit sibi de ijs iudicium. Et an veritatem plenius ex sententiarum collatione cognoueris, res ipsa loquitur, quòd paulò pòst & gradum summum peteres & impetrares, & iureiurando etiam huic doctrinæ testimonium redderes: an verò tum non sumebas tibi de his Thesibus iudicium? Vbi hîc est candor? vbi frons?

21. Metum Præceptorum suorum de sua inconstantia falsò nunc prætendi asserit: scilicet, etiamnum hodie, vtinam verò diutissimè, superstites sunt illi omnes, de quibus D. Iacobus Andreæ loquitur: quis autem credat, illum publicè de collegis suis voluisse affirmare & scribere, quibus contradicere, illis non esset difficile? Fateris ipse, alias à te, & quidem de regno Christi oblatas Theses fuisse, & eas ab ordine Theologorum non improbatas, quare ergo, vt de hac potissimum materia periculum faceres, ipsis est visum, quàm vt & ipsi de te facerent periculũ, quod cùm obiectũ tibi fuerit, quare tu taces?

22. Formulâ iuramenti ad Augustanam confessionem sese astrictum, non negat, sed in eo tergiuersatur, quòd sibi iam tum non

ignotum fuisset dicit, illam à Melanthone, qui Helueticam (hoc est Cinglianam) doctrinam probasset, & scriptam & expositam. Respondeo. Si Augustana confessio vobis fauet decimo articulo, quare additum fuit: improbant secus docentes, quod ad Pontificios certè referri à vobis non potest, qui pontificijs nostros consensisse, impudenter scribitis? Quare Tigurini vltrò fatentur, se confessionem illam in eo articulo approbare non posse, quòd ipsorum doctrina non obscurè in eo ipso sit condemnata. Quare Caluinus facem illam appellat, qua conflagratura sit vniuersa Gallia. Quare Beza scribit eam confessionem in quibusdam sibi non satisfacere, & præsertim in capite de Cœna Domini sibi probari non posse, nisi commoda interpretatione leniatur. Et hæc quidem, anno nati Christi Saluatoris septuagesimo, & sic penè decennio post Philippi obitum scripsit. Sed ponamus illam confessionem ita adornatam fuisse, vt vtrisque ad eam pateret refugium, an verò tu mi Cucule ignorabas, quanam sententiâ Præceptores tui eam & amplecterentur ipsi, & te obligatum vellent? Sed vobis iuramentis etiam ludere, vt pueris astragalis, licet, qui Lysandri Spartani fidem reipsa probatis. Is enim cùm propter violatum fœdus, quod mediante iuramento cum Miletanis pepigisset, reprehenderetur, respondit: an nescitis pueros quidem talis, viros autem iureiurando fallendos esse. Sed ô Cucule, Deus non fallitur, neq; etiam, ne erres, irridetur.

23. *Iam & Anabaptisticum anteambulonem audiamus: Vtinam (inquit) hic infœlix homo (præceptorem intelligit) tandem cogitet, nos in Baptismo vni Christo fidem dedisse. Eruditum argumentum, Christiani in Baptismo Christo fidem dederunt: Ergo nulli Magistratui licet iuramentum fidelitatis à subditis requirere. Quin assurgitis huic acumini vos Anabaptistæ quotquot estis.*

24. *Alterum verò illud etiam ridiculum est quòd dicit: Si sententiâ Iurisconsultorum, iurans ex calore iracundiæ non obligatur, quid opus erat exprobratione datæ fidei? Respondeo. Quid*

ais Cu-

aïs Cucule? an ne tum adeò iracundus eras cùm fidem tuam obstringeres? Cùm hæc scriberes iracundum te fuisse video, dicis enim, Præceptoribus tuis nec aram nec fidem esse, ita ira tua dat te præcipitem. Sed cùm fidem dares, me videre te memini, iracundum autem fuisse non memini. Et sanè inerudita fuit & agrestis iracundia, quæ animum etiam tuum emigrare iussum, egit in exilium, vt mentis inops iurares, quæ ipse non intelligeres. Nos verò non, quòd ex calore, sed callido ore, non iracunda mente, sed iracunda conscientia iurauerís, tibi obijcimus.

25. *Perfidiam tuam D. Lutheri & Marbachij piæ memoriæ exemplis frustra palliare conaris, neq; enim hoc principale est, quòd mutatæ & abnegatæ fidei & religionis, sed quòd detestandæ huius leuitatis te accusamus, qua sciens volensq; & reclamante conscientia iureiurando sanciuisti, quæ etiam tum non præstare cogitabas, vt quòd de Augustana confessione, & Melanthonis explicatione, tergiuersando suprà vltrò fassus es.*

26. *De funestis illis verbis, qualia ne ipse Cacadæmon eructaret, quibus contumelioſam salutem tibi, internuncio erudito & modesto iuuene dici Præceptor curarit, cùm qualia fuerint, dicere non ausis, nec ego de ijs respondere possum. Hoc solùm addam, si tanta fuit eius iuuenis eruditio & modestia quam dicis, certè nec accipere ab illo salutem eiusmodi, nec ad te referre debuit, ideo te patella non indignum operculum fuisse arbitror.*

27. *Præceptorem suum hominem agrestem, tetricum, ebriosum & indoctum facit: sed venit mihi in mentem Ducis illius Timothei responsum, cui cùm laudes suas æmuli inuiderent, pinxerunt vrbes semetipsas reti inuoluentes, duce interea dormiente: quod cùm animaduertisset ille, respondit: Rectè verò, etenim si dormiens hæc præstiti, quid me facturum putatis vbi euigilauero. Sic, si indoctus & ebrius Præceptor ista effecit, quid fiet Cucule, si quando doctè & sobriè Philosophabitur? Interea autem tu non animaduertis te maiori versari in discrimine. Si enim ita esset*

vt dicis (quod tamen à te confictum est) posset ille cum Syro Terentiano sese conijcere in aliquem angulum, & pauculis horis edormire quod bibit vinum. Tu verò fastu & ambitione adeò ebrius es, vt si ipsos septem dormientes in Celio monte somni diuturnitate superares (qui sub Decio cùm obdormijssent, sub Theodosio secundo demum, hoc est post annos circiter centum & sexaginta euigilarunt) ebrietatem tuam edormire non posses. Quod si nesic quidem tibi satisfactum putas Cucule, ad Augustinum te remitto, qui de perfidiæ ebrietate quid scripserit, si scire velis, 177 Epistolam eius legas.

28. At verò Bezæ quis similis? de quo coccysat Cuculus, omnem vitæ eius habitum, pietatem & virtutem spirare. Quid verò ais Cucule? Nosti ne candidam eius? Nosti ne de posterioribus eius quid scripserit ille? Cùm autem candida hæc, vitæ eius non minima pars fuerit, dic nobis Cucule, posteriora eius quã virtutem spirarint, quãdo omnino etiã stercora isthæc auro tibi preciosiora videtur.

29. Quæ de viro quodam honesto & virtute præstante narras: qui dixerit, non maiorem esse D. Iacobi Andreæ apud prudentes authoritatem, quàm ebriosi sacrificuli in Sequanis: Quia ille ignotus nobis est, tu nostro nomine ei respondeas: Nos eum quidem non Gallicum sacrificulum, sed Argiuum Calumniatorem & Sycophantam existimare. Neque eum vel virum honestum vel virtute præditum credere posse, qui alijs detrahat, sed mordacem quendam Memmium potius, aut nostri seculi Momum.

30. Echinum etiam intractabilem, Præceptorem suum facit. Etsi autem Echinum vix dicere ausim Cuculũ, quòd illis pro pedibus spinæ esse legantur, vnde detritis aculeis sæpius inueniuntur, quod de Cuculo, cuius aculei satis acuti sunt, nemo dixerit: tamen Echinometram esse penè crediderim, quorum spinæ longissimæ traduntur, oua omnia amara, ore in terram conuerso, & cùm sæuientis maris fluctus præsagire possint, correptis lapillis sese contegunt.

31. Iam

31. *Iam & cœlum ruit & volat terra. Sæpius ad eruditæ Iuuentutis teſtimoniũ Cuculus prouocauerat, illud verò cùm non quale vellet accepiſſet, ſed & pedum ſtrepitu ſuum de ipſo iudicium, & affixa loco publico ſcheda illa ſignificaſſet: Hîc verò ſtodidus Paſquillus eſt, imperitæ multitudinis paſquillicum præiudicium, Vulgus imperitum confidentioribus ſeſe iungit, pugnat id cum S. Romani Imperij conſtitutione, & ſimilia. Atqui non ita euades Cucule, eum conſule, qui iuramenta ex calore iracundiæ facta non obligare tibi dixit, is te, an contra teſtem quem ipſe produxeris, ſic quidem, excipere poſſis, docebit.*

32. *Vulcano Præceptorem confert, & mendaciorum follem in ſe exhalaſſe Cuculus nugatur. Reſpondeo. Ego verò, qui cum Vulcano appoſitè magis quàm Cuculus comparari poſſit, video neminem. Etſi enim de mendaciorum folle nihil dicere auſim, quòd ipſius ſiue conuicijs, ſiue mendacijs, neq; officina Vulcani, neque ipſa Vulcaniana tellus ſufficere poſſit, tamen vt ille Deorum faber, Cyclopum auxilio fulmina fabricat, nec vnquam deſinit, ita Cuculus Caluiniſtarum Mulciber, Cyclopibus quibuſdam adiuuantibus, tot finxit & coaceruauit conuiciorum & calumniarum fulmina, vt aqua prius ſequanam, quàm gregales eius conuicia deſtituere poſſint.*

33. *Terræ etiam filium Præceptorem appellat. Tu verò quis es? aut vnde venis? Fortè ex Caci ſpecu, aut antro Trophonij? Aut ex Iouis cerebro natus, qui etiam Mineruam ſuperas? Si terræ filius non es, fortè de cœlo cecidiſti Lucifer? Aut te genuit Cacadæmon aliquis? Quòd ſi ad generis obſcuritatem alludis, homo Codro generoſior, illud Iphicratis reſpondemus, cui cùm obiecta fuiſſet à quodam maiorum ignobilitas, dixit, genus meum à me incipit, tuum verò in te deſinit.*

34. *Præceptoris librum cum fulmine comparat: id verò rectè abs te factum eſt. Etenim vt precationibus fulmina cogi, Numæ*

Pompilij exemplo vetustas credidit, ita te tuis imprecationibus & conuicijs prouocasse id fulmen tibi persuadeas. Video tamen idem tibi quod Hostilio, accidisse, is enim cùm imitari maiores, sed parùm ritè in prouocando fulmine vellet, fulmine ictus est. Sic tu à fulmine intempestiuè extorto, prostratus & penè exanimatus es.

35. *Brutum autem fulmen cur dicas, non satis intelligo, sed si diuinare mihi licet, ideo factum existimo, quòd illud te olim hominem stupidum, nunc & penitus brutum reddiderit.*

36. *Paupertatem Præceptori exprobrat (his enim hominibus nulla maior hæresis quàm pauperem esse) & ex largiori Eleemosyna Præceptorem suum ex famelico vomentem redditum coccysat. Velim autem mi Cucule te illud Diogenianum meminisse, qui, cuidam paupertatem exprobranti, respondit, ob pauper-*
» *tatem torqueri vidi neminem, propter scelera autem plurimos. Et*
» *quæso ego te, tu nam vnde victitas, ex merito ne congrui aut condigni? Etsi homo non es, sed impius & ingratus Cuculus, tamen vel cum coruis gratuitam Dei clementiam in alenda omni carne grata mente agnoscere & celebrare debebas. Sed quia mauis esse Cuculus, audi quid Pompeius olim Marcellino cuidam, vt est apud Plutarchum respondit. Huic enim, cùm Pompeio, à quo ad eum dignitatis gradum euectus fuerat, in Senatu malediceret, ille respon-*
» *dit: Non te pudet Marcelline ei maledicere, cuius beneficio tu ex*
» *muto facundus factus es, & ex famelico eò productus, vt nunc vo-*
» *mitum non teneas.*

Lib. 10. cap. 9. Pag. 6. Nota. 37. *Cuculum interdum vocem mutare Plinius affirmat, id etiam ex nostro Cuculo apparet. Cùm enim dixisset se Tubingensem*
» *historiam ideo velle recitare, vt suo exemplo piam Iuuentutem*
» *admoneat, ne posthac temerè quæuis loca adeat, & sine delectu*
» *quo suis vitæ & studiorum duces sequatur, iam addit: Equidem &*
Pag. 18. *de ordine Theologorum, & de tota Academia Tubingensi amantissimè*

tiſſimè & honorificentiſſimè ſentio & loquor. Reſpondeo. Video te à memoria deſtitui, deſine ergo poſthac mentiri, nam mendacem (aiunt) oportet eſſe memorem.

38. Tribuit Præceptori neſcio quas ſordes, quas tamen nec caſto lectori obijcere, nec ipſe attingere velit. Reſpondeo. Si vſq; adeò ſordidus tibi eſt Præceptor tuus, quid ſi ad vos lotum accederet, vt reuerteretur nitidior? Verùm quid ſi vos pro theſauro nobis carbones, aut ſi quid carbone eſt nigrius? Certè periculum ingens eſt, ne idem eueniat, quod de Diogene refertur, qui ſorditum ingreſſus balneum, circumſpiciens dixit, & vbi nam lauantur qui hîc lauant? Stratonicus quidam, cùm balneo, in quo plures infecti fuerant, ſacellũ vicinum, & in eo multa anathemata ſuſpenſa videret: Rectè, per Iouem, inquit, qui enim hîc lauans non inficitur, meritò tabulam ſuſpendit Dijs. Ita quem tu laueris, ſi non inficiatur magis atq; magis, ſeſe diuinitus ſeruatum, non dubitet. Pag. 19.

39. De iure vocationis vſurpato potius quàm legitimo plura dicere mea nihil intereſt. Verùm ſi Cuculus vocationem ſuã ſaltem ſuſpectam (vt moliſſimè loquar) eſſe noluit, certè ea quæ obiecta illi erant, cõfutare debuit, ſed præterire quàm refutare multò potuit facilius. Et cùm de iure vocationis tuæ adhuc ſub Iudice lis ſit, quod equidem non potes negare, quomodo de ea adeò ſtolidè gloriaris? Pag. 21.

40. Voluntati Senatus Baſilienſis parendum ſibi dicit, qui cùm ingenium ipſius optimè nouit, & naturæ eius rationem habendam cenſeat, nolit ipſum cum alijs decertare. Reſpondeo. Num verò Senatus Baſilienſis ſapientiſſimi voluntas & decretum, te, (vt olim Tulliæ Rom. impietas aurigam in parentis cadauer vt carpentum ageret) coegit, vt plauſtrum conuicijs onuſtum in Præceptorẽ exonerares? Minimè verò, & id ipſum quoq; tu non diſſimulas, ſed vt modeſtè & placidè ageres, iußit. Si igitur in re tam neceſſaria, vbi & tua & Senatus ampliſſimi plurimum intererat, voluntati eius piæ & ſanctæ non parendum iudicabas, qui fit, vt nunc authoritatem eius prætexas? quæ te iam noua inceſſit pietas & religio?

41. Rectè

Pag 20. 41. *Rectè autem & piè fecit inclytus Senatus (si quæ dicis vera sunt) quòd non patitur te polemicis scriptis alios adoriri. Si enim vt fateris ipse, nouit quo sis ingenio, quàm impiè dicaci, arroganti, turgido, conueniebat certè, illum ori tuo maledico tale frenum iniycere.*

42. *Ideo etiam se respondere nolle inquit, quòd personam suam tantùm, & quidem conuicijs impeti videat, quod deploratæ causæ signum sit. An ista vera sint, intelliget Lector, qui vnam duntaxat aut alteram paginam in Confutatione D. Iacobi Andreæ legerit, statim deprehendet, inquam, Cuculum à scopo, hoc est, veritate aberrare. Si autem personam insectare, deploratæ causæ signum est, ita me Deus amet, vestra causa est deploratissima, quid enim facis aliud mi Cucule, hoc toto tuo libro, nisi vt personam aduersarij, quam cane & angue peius odisti, quàm odiosissimè exagites.*

43. *Hîc verò à scorpionum natura aliquid degenerat noster, illi enim terra viuere dicuntur, hic verò conuicijs & contumelijs pingue scit. Neq; enim (ait) in tota disputatione vllum, ne vnum quidem argumentum adductum est, ad quod potuissem respondere, tantùm sophismata quædam puerilia, ex schedis ineptè recitata. Respondeo. Quàm verè ista dicantur à Cuculo, fortè acta disputationum, si tempus & occasio erunt, testabuntur. Istud autem cogita, quantum de tuæ victoriæ gloria tua culpa decedat tibi. Passim enim gloriatur Apologia de decreto Principis Illustrissimi, ex quo quid præstiteris constet, gloriatur de Cancellarij viri amplissimi oratione, ex qua de opera tua possit sumi iudicium, gloriatur de Magistratus & Ministrorum ex actis publicis desumpto testimonio, ex quo quid à te, & quomodo præstitum sit, manifestum fiat. Atqui si nullum argumentum sed tantùm puerilia sophismata ab indoctis quibusdam allata fuêre, quæ eruditis vobis ludus iocusq; fuerunt, vt tu loqueris, imò nihil præter barbarismos & solœcismos, quid nam tu egregij præstitisti, num tantæ molis erat puerilia so-*

phisma-

phismata animaduertere & notare: ita dum alijs detrahere niteris, tuis luminibus officis ipse.

44. *Intemperiem quam tribuit Præceptori, ex crapula & ebrietate ortam, homo non satis sobrius affirmat, interea ipse sibi videtur pulchrè sobrius. Respondeo. Tu verò hominum eruditissime ænigma istud nobis edissere: panaria ebrietas quid sit, vel citra vinum temulentia. Et cur non cogitas Cucule, quantum in te peccesipse. Dionysio Siculo dicebantur duo inter pocula conuitiari. ille vocatis ambobus, vbi animaduertit alterum ex largiori potu & temulentia maledicere, alterum verò naturæ & ingenij prauitate, illum venia dignum existimans, dimisit incolumem: hunc verò quòd studio & ex ingenij malignitate conuiciaretur, interfecit. Fœlix profectò tu, qui Cuculus potius quàm Siculus sis.*

45. *Laruam detrahendam fuisse Caballo Cumano (Præceptorem suum intelligit) verecundè dicit hic Plato. At factum à te bene, quia eodem labore quasi duos parietes vna fidelia dealbaturus, tuam tibi laruam ita detraxisti, vt inter leonem & asinum discernere, & Cuculum à luscinia internoscere non sit amplius difficile. Ex cantu enim dignoscitur auis, & ex vestigijs asinus, sicut ex pulsu testa. Vnum tamen te hîc meminisse decet, vt quia detractor factus es, detractor inquam laruarum, eas vt asinis detrahas, à tuis nimirum vt incipias, ijs præsertim qui non vident manticæ quod in tergo est, ne occini tibi possit, extrahere te festucas ex aliorum oculis, & non animaduertere ingentes trabes in oculis tuorum, quod esset hypocriticum. Si verò ad primum reuersus fueris initium atq; circulum, tum si quid tibi supereſt temporis, ad nos vt accedas detractor, licebit.*

46. *In eo autem planè te dedisti turpiter, si quisquam alius, quòd Præceptorem asinum appellas, ponamus enim istud nihil habere impietatis penitus, an non animaduertis quàm sis tamen in teipsum iniurius. Etenim simile non nisi simile gignere, te, tantum*

Philosophum, non ignorare, mihi persuadeo. Iam verò tu huius fœtus es & creatura, asini inquam, quem dicis. Ergo & asinus tu ipse eris, nisi quis dixerit aberrasse naturam, & te produxisse monstrum. Facit tamen natura tua & ingenium, vt Cumanum asinum te non existimem, sed Indicum, illi enim cornuti dicuntur, ideoq; magis ferociunt. Dum verò istud Cleanthis meminimus, pro hoc encomio gratias tibi agimus. Cùm enim inter reliqua plurima conuicia, illi dixisset Zeno: Asinus es, respondit: Benè facis, alioquin tuis conuicijs ferendis impar futurus eram.

47. *Ignem igni addere Præceptorem tuum dicis. Respondeo. Et tu oleum Camino: Tibi enim & tuis (nisi fallor) Catilinæ est ingenium, cui cùm Cicero in Senatu diceret, incendium excitas. Sentio inquit, & illud, si aqua non possum, ruina extinguam.*

48. *Hostem infensissimum Præceptorem appellat, ideoq; non audiendum putat. Quare autem mi Cucule ab Anthistene tuo hoc loco recedis, qui dicere solitus est, hostium etiam testimonia attentè obseruanda, quòd illi plerunq; primi, si quid peccemus, animaduertant, & liberiùs etiam reprehendant.*

49. *Quis cum Diogene Cynico faciat, si scire cupis, ostendam: Dicere enim solitus is fuit: Nullam debere nos parentibus gratiam, quia voluptatis causa tantùm educent sobolem: at eadem cùm tua sit opinio, non deberi præceptoribus gratiam, fortè quòd lucri tantùm gratia instituant, quid quæso differt ingenium tuum à Diogeniano? Et cùm ita te delectet Diogenes, audi & illud eiusdem, cùm superbum filium, patrem magno fastu contemnere videret, dixit ei: an non te pudet, eum te contemnere, cui debes hoc ipsum, quòd ita tibi places.*

50. *Præceptorem in Christi militia, seculi lucra sectari ait, quod sit turpe. Respondeo. Turpe esse nõ diffitemur, quin imò turpissimũ, sed id à Præceptore factũ cur non probas? Atqui inquit Cuculus hoc ita accepimus: Quid verò ais Cucule? tibi, vt homini Christiano & Theologo, licet Præcep. rei turpissimæ publico scripto insimulare, ex*

solis

solis vanissimis vulgi rumusculis? An non Cuculi calculi præuertunt cognitionem? Verùm audi quid & nos acceperimus, videlicet, Cuculum quendam superato Rheno, Heydelbergam nuper (ceu ad cadauer aquilæ) aduolasse, operamq; suam & Coccysmos promptissimos obtulisse, sed conditione hac, vt & ibi conduceretur amplissimis stipendijs, illic autem vnde venerat, de salario suo nihil quicquam decederet, vt impleatur quod scriptum est: Hoc oportet facere & illud non omittere. Ingens verò miraculum, Cuculum vnum & eundem, qui tamen vbiquitarius non sit, posse in diuersis & longissimè dissitis locis, vno & eodem tempore stipendia mereri, nec tamen seculi lucra venari; id enim turpe esset, vtcunq; ipso etiam Nimrodo venator robustior, & sic quidem vsu mihi probare videtur Cuculus, Timonis Athenienſis dictum, qui cùm Philosophos disputantes audiuisset, res naturales ex quatuor Elementis compositas, ait: Ego hominem ex duobus compositum puto, auaritia & ambitione, quæ omnium malorum causa sunt, nisi ex fastu Cuculum totum conflatum quis dicere malit.

51. *Putidissimis mendacijs Præceptorem suum secum agere scribit, Respondeo. Atqui iam ego ostendam ipsum putidè mentiri. Ait (inquit Cuculus) me Rœtelæ versantem idem cum ipsis sensisse, & id literis testatum esse. Respondeo. Sanè dixerunt, & etiamnum dicunt, & tuis literis, tua manu, docere id possunt. Quid ergò respondes? Tubinga (inquit) reuocatus, nondum certè ex illis controuersijs, ceu tricis me poteram extricare, itaq; reuerenter & aliquoties ad D. Iacob. And. & alios scripsi. Nec sanè modesto homini vitio, sed laudi dandum est, si calculi non præuertant cognitionem. Ecce tibi reum confitentẽ, qui paulò antè insigni impudentia dixerat, esse putidissimũ mendacium, quod nunc vltrò fatetur ipse, quia scilicet nouit se sua manu, si neget, conuinci posse. Quod verò subiungit, se, etiam antequam Rœtela disceret Basileam, hanc impiã doctrinã (piam ipse vocat) publicè professum esse, nescio an satis* " Pag. 23.

sanus sit, quid enim hoc aliud est: quàm calidum & frigidum simul ex vno & eodem ore efflare, quod quidem huic hominum generi nec rarum nec nouum est. Et libenter quæsierim ex Cuculo, qualem doctrinam se adferre Rætelam & docere velle, iuramento affirmauerit, & quid Commissarijs nomine Illustriss. March. Bad. Car. piæ memoriæ responderit, eorũ si recordari ille possit, næ, Vertumnus mirabilis fuerit. Grauis tamen quæ vrgebat ipsum vt ore & ore loqueretur, causa fuit. Sperabat enim adhuc aliquem Professoris locum in Academia Tubingensi. (Nam docendi in Ecclesia muneris dudum illum pudebat.) Sed quòd nullam occasionem prætermittendam censeret, etiam Basilienses animos sibi demerendos demulcendosq; credidit, vt duos insequens lepores vel alterum caperet.

52. *Sese (ait Cuculus) cùm cordi ipsius radius veritatis affulgere cæpisset, professum esse veritatem publicè, quis verò radius hic sit, alij ita referunt: Vixit Heydelbergæ non ita pridem Medicus quidam Erastus nomine, nobis non planè ignotus. Hunc cùm in re lauta, ac sine liberis esse Cuculus animaduertisset, in eius nido parere voluit. Itaq; primò prehensare hominem & adulari seruiliter, tum alia, tum decorem suum appellando, deinde bonis alienis magis, quàm Theologum deceret, & auidius inhians, de affinitate sibi eo iungendo cogitat, & tandem multo labore consequitur. Vnum restabat, videbat diuersitate religionis nonnihil offendi illius animum, ne igitur tantus quasi ex imis faucibus eriperetur bolus, in omnibus obsequi statuit, atq; in illius gratiam, auro & nummis eius insidiatus, fidem & religionem abnegat, & ad Caluinistas palàm deficit. Hic est ille radius, qui illuxit ei infœliciter: Postquam hæc lux eius sitientem animam circumfulsit, tremens dixit: Erraste quid vis me facere? Qui respondit, hæc omnia tibi dabo si prostratus me adoraueris. Miseret tamen me hominis, quòd audiam, deceptum turpiter, coruum delusit hiantem.*

53. *Quod*

53. *Quòd vllo contumelioso dicto Præceptores vnquam impetierit, ait esse mendacium Iacob Andricum, & oppono inquit Basilienſis Academiæ testimonium. Respondeo. Atqui illi nihil dicunt amplius, quàm quòd de eo sibi minimè constet, quod facilè credo, quia illi tuas lectiones non audiuere, quomodo ergò constare posset? Vides ergo quo fundamento, & quàm ruinoso nitatur tua innocentia, illi qui me non audiuerunt, dicunt sibi nihil constare. Ergo nihil est quod de meis in Præceptores contumelijs dicitur.*

54. *D. Snepffium (ait) & D. Heerbrandum veneror. Respondeo. Quæ sit illa reuerentia & honor ex eo manifestum fiet, si attributa doctrinæ, quam vnà cum D. Iacobo profitentur vnanimiter, colligantur. Et vt alia penè infinita prætereàm, sic veneraris, vt dicas, illos pestilenti fermento massam verbi Dei hactenus corrumpere. Hic scilicet pro munere vestrō, viri amplißimi, vobis honos est habitus.*

55. *A collegis sese, vt à conuicijs temperet, admonitum negat, nam meritò eum nunc pudet, & ait, si vir bonus est, proferat in lucem eius rei indicem Epistolam. Respondeo. Crede mihi Cucule, facilius id nobis esset, quàm per extensum (quod dicitur) funem ingredi. At cùm ij superstites etiamnum hodiè sint, tu verò illis malè mineris, per amicitiæ leges id nobis non licet quod tu petis, maior enim nobis in amicos fides est, quàm tibi in Præceptorem,*

56. *Iam & Synodum vrget Cuculus, quam D. Iacobus promisit scilicet, & iam non præstat. Atqui vos rem seriam agere ego hactenus mihi persuadere non potui, quid enim vespertilionibus & Cuculis auium conuentus prosit. Inprimis autem ideo, quòd hactenus nihil præter Lysandri gladium cruentum vos vibrare vidimus. Etenim Argiuis cum Lacædemonijs de finibus contendentibus, cùm illi causæ bonitate superiores esse viderentur, Lysander Lacædemonius ense stricto ostenso dixit, in hoc qui superior est, is optimè de finibus disputat.*

57. *Synodum enixè petere Caluinistæ hactenus videri voluêre, sed qua conditione? Id cùm alij tacuerint, Cuculus liberè profitetur, nimirum, si in ea damnari doctrinam suam de captiuo Christo contingat, non magis præiudicio id suæ doctrinæ futurum, quàm vel olim Tyria Seleucienſis aut Ariminenſis piæ doctrinæ de æternitate filij Dei, vel nuper Tridentina Euangelio, de quo, vt nunquam dubitauimus, ita Synodo quid opus ſit, videre nos poſſe, negamus.*

58. *Senectuti etiam & canis Præceptoris inſultat, dum tribunali Dei vicinum dicit. Etſi enim lex diuina cano capiti aſſurgere iubeat, hic tamen Theologus, potius vetuſtum illud comprobare ſuo exemplo voluit, quo dicitur: Apud ſolos ſpartanos expedit ſeneſcere. Miror caluitiem non etiam exprobratam fuiſſe Eliſæ.*

59. *Iudicem præ foribus adeſſe, eumq; ſe lætos expectare ait: & meritò id quidem, quando.n. vt filio hominis ei traditũ eſt iudiciũ, illi verò humanã eius naturã plurima ignorare ſibi perſuadeant, nec impietatẽ ipſorũ perſpectã illi eſſe, cenſent, ideoq; pauliſper lætantur.*

60. *Non prius nobis Chriſtum propitium fore, Rhadamantus* »
» *hic affirmat, quàm abiurato vbiquitario dogmate, Chriſtum verè* »
» *in carnem veniſſe profiteamur. Reſpondeo. Tu verò Cucule quis es,* Rom. 14.
qui alienum ſeruum iudicas, proprio Domino (Chriſto) ſtamus aut cadimus, ſtabiliemur aũt, poteſt enim nos ſtabilire Deus. Et ſi omnino (vt tu vis) erramus, tua culpa erramus, cùm enim Chriſtus perſpicuè dicat ſuũ corpus nobis in Cœna dari, quod paſſum pro nobis & traditũ in mortem ſit, tu aũt Metaphoricũ, ſignificatiuum, Metonymicum & figuratum corpus in Cœna præſens doceas, certè Chriſtus non verè in carne venit, ſed figuratè & metonymicè carnem aſſumpſit, in ſimilitudine tantùm carnis traditus & paſſus eſt, ſiquidem veſtra doctrina obtineat.

61. *De conuiciorum quibusdam plauſtris conqueritur. Reſpondeo. Vidit te hominem tetricũ & agreſtem, qui ligone Philoſophari, quàm verbũ Dei tractare fœlicius poßis, & quòd conuitia tanquã è plauſtro in quoſuis cõijcias, ideo ad plauſtra te remittere ei viſũ eſt.*

62. Con-

62. *Consensus Tortodoxi notorium perduellem Præceptorem facit, & hoc verissimè. Nã eum qui maiestatem minuit, perduellem veteres dixere, ille autem omnem, quam sibi hactenus vsurpare hic consensus videbatur maiestatem, ita profectò & minuit & comminuit, vt præter vmbram aliquam & inane nomen eius, vix quicquam supersit. Neq; etiam truncati & collapsi miseri Dagonis sui dignitatem instaurare prius poterunt, quàm vel mare exhaurire, vel arenas eius dinumerare.*

63. *Alienum à virtute & pietate Præceptorem dicit. Hîc libenter responderem, nisi me Biantis moneret exemplum. Is enim, cùm, quid pietas esset, quidam ex ipso quæreret, subticuit primò, illo autem, vt responderet, vrgente, percontaris inquit de rebus nihil ad te pertinentibus.*

64. *Conqueritur etiam Præceptorem in Theodorum Bezam* « *debacchatũ, cuius viri vultum etiã si conferendum sit, ferre non pos-* « *sit. Respondeo. Verè & illud dicit, tot enim & tantæ impij illius hominis extant in Deũ blasphemiæ, vt viri boni, vultũ eius non magis ferre possint, quã vel Ioannes Cerinthi, vel Marcionis Policarpus.*

65. *Munatius quidã Faber ferrarius, postquã peritum quendã Cytharœdũ reprehendisset impudentius, hic ei respõdit. Atqui tu nõ animaduertis stolide, te supra malleum loqui: idem & Cuculo accidit. De Buzero.n. postquam illum cum D. Luthero contulisset, ait:* « *Vnam pagellam commentariorũ eius in Euangeliũ aut Epistolam* « *ad Romanos, plus habere solidæ, seuerioris & confertæ doctrinæ,* « *quàm terniones in plurimis scriptis Lutheri, & addit vera equidem* « *dico, rumpantur vt ilia Codro. Respondeo. Quid si ex eo quæramus, quibus suffragijs ille horum virorum censor factus sit? aut quis ipsi Censoris virgulam tribuerit? aut annè nostri seculi Momus ipse sit? Quid si respondeamus illud: Asinus ad lyrã: aut illud: Sutor ne vltra crepidã? Occurrit mihi profectò illud Alphonsi Regis Arragonij, cui quum quidam diceret, reperisse se virum sapientem: Et quomodo, inquit, Rex, stultus dignoscere potuit sapientem? Quòd si*

tibi

sibi ô Cucule tantum esset vel mentis, vel iudicij (de immodestia tua nihil dicam) quantum D. Lutheri scripta habent Spiritus, quantum habent solidæ & confertæ doctrinæ, tu vel cogitatione eius, quod nunc scribis, erubuisses. Sed Embarus es, & tuum pistillo (vt Hieronymi verbis vtar) retusius est iudicium. Et vt soliditatem tuam agnoscas & emendes, non quid Codrus aliquis dicat, sed quid viri Principes, quid Heroës, qui hostibus etiam admirationi fuerunt, quid inquã viri doctrina, pietate & iudicio clarissimi, quibus tu collatus vix graculus inter Musas, aut inter olores anser fueris, scripserint, atq; adeò ipsum etiam Bucerum audi.

Ioan. Frid. I. Elector Saxoniæ ad Ioannem Aurifabrum.

Lutheri scripta hoc habent proprium, vt penetrent corda, & afficiant intimas medullas, relinquantq; aculeos in mentibus legentium: proinde vnam pagellam eius viri plus solidæ doctrinæ & efficacis consolationis habere iudico, quàm integros octerniones aliorum Theologorum.

Philipp Melanth.

D. Pomeranus Grammaticus est, nam verborum emphasin & phrases exactè ponderat, D. Ionas Rhetor, quia splendidè de materijs propositis disserit, ego Dialecticus sum. D. Lutherus verò omnia in omnibus est. Nulla ferent talem secla futura virum.

Erasmus,

Planè Lutherus talis est, vt plus erudiar & proficiam ex lectione vnius pagellæ Lutheranæ, quàm ex toto Thoma.

Ambsdorffius præfat. Tom. 1. latin Ien. oper. Luth.

Ego existimo omnes commentarios veteres & recentes, etiamsi in vnam massam conflentur, & deinde quod optimum est ex eis decerpatur, tamen cum huius viri scriptis conferri aut comparari non posse.

Vrbanus Regius

Cùm Saxoniam peterem, Coburgi integrum diem solus cum Luthero viro Dei transegeram, quo die nullus in vita mihi fuit iucundior. Talis enim & tantus Theologus est Lutherus, vt nulla secula habuerint simile. Eò magis execror Carolstadianorum stulticiam & arrogantiam, (caue tibi Cucule) qui sibi placent, quasi Luthero queant conferri, cuius vmbram non assequuntur cum omni erudi-

eruditione ſua quam iactitant. Et rurſus: Maior eſt Lutherus quàm vt à quouis ſciolo poſsit aut debeat iudicari. Scribimus quidē paſsim & tractamus ſcripturas, abſit inuidia verbo, ſed Luthero collati, diſcipuli ſumus. Et hoc iudicium non ex amore fluit, ſed amor ex iudicio: neminem contemno, & malo contemni quàm laudari: ſed rurſus Lutherum contemni, electiſsimum illud Spiritus ſancti Organum non patiar. Epiſt. ad fratres in ſuperiori German.

Dum Lutherus in acie ſtat, ſuſcitauit ei Dominus cooperarios, qui partem aliquam oneris in ſe reciperent, igitur & nos in harenam progredimur induti armis quæ Lutherus nobis ſubminiſtrauit. Neq; enim nos pudet fateri veritatem, quòd videlicet omnes ipſius diſcipuli fuerimus, & ipſo docente & ducente ad ueritatis agnitionem peruenerimus. Et paulò pòſt: Teſtor Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Iudicem & προγνώστην, quòd quæ de hoc viro teſtificor, coram Deo vera eſſe agnoſcam. Neq; aliud quæram, quàm vt filij Dei, dona Dei, quæ Chriſtus in hoc Organo ſuo Eccleſiæ contulit, agnoſcant: Et hinc paci & tranquillitati Eccleſiæ certius & verius conſulere poſsint. Hæc equidem vera ſunt, rumpantur vtilia Cuculo. Excuſari tamen vel aliquo modo Cuculus poteſt, fatetur enim ipſe, ſe, quæ de ſcriptis Lutheri polemicis legerit, legiſſe ſine iudicio. Quod eò libentius credimus, cùm rem ipſam id teſtari videamus. Bucerus de vera Eccleſiarum in Doctr. Ceremon. & diſciplina compoſitione, fol. 10. Ex Germ. translatum. Apol 7. Pag.

66. Hanc primam ſibi & poſtremam Apologiam eſſe ait. Reſpondeo. Si prima eſt, quare tam procul à pietate primæ Apologiæ hominis Ethnici, filij inquam Cræſi abeſt? Hic enim cùm toto vitæ tempore mutus fuiſſet, poſtquam Sardium vrbe capta, miles Perſa patrem Cræſum ſtricto enſe inuaderet, ſubitò in hanc erupit vocem, miles, ne perimas Cræſum. Hoc primo quod elocutus eſt verbo, parentem ſeruauit, quare ergo tu homo Chriſtianus prima Apologia ceu Perſicus miles conficere nutritorem voluiſti? Quòd autem poſtremam fore dicis, admones me eius, qui interrogatus quæ nauigia

commodissima essent, in longum ne vel in latum diducta, respondit: subducta. Ita nimirum tu ventorum & fluctuum scripturæ vim metuens, vela cõtrahere, inq; portum te recipere cogitas: quantò autem satius erat, te vela ventis nunquam commisisse?

» 67. Nolle se buccis vbiquitatis celebrari, quòd ouis Zephyrianis » subuentaneis persimiles sint, quæ vento concipiantur, homo ventosus ait. Respondeo. Ne quæso te excrucies, nihil enim periculi est, ne nimijs tuis laudibus nimium occupemur. Nam & argumenta nobis desunt, & hîc quidem fontes nostri ipsi sitiunt, magis etiam quàm latebrosi pumices. Quod verò de ouis vento conceptis fabularis: memini non Theophrastum, sed Prophetam quendam dicere, de seminantibus ventum, messuris turbinem. Et alium: Oua quorundam non subuentanea Zephyriana, sed serpentina & aspidum vocare, quæ si confodiantur, erumpere in regulum, sin comedantur, æternæ mortis causam esse. Vide mi Cucule, ne his buccis tua oua celebrata sint?

Ose 59. Esa. 19.

68. Iuuentutem sibi monendam credidit Cuculus, ne D. Lutherum Prophetarum vltimum putaret, sed etiam aliorum perpolita scripta legeret. De Caluinistarum autem Prophetis loquitur. Id verò quo fundamento, nisi fortè illo: Propheta docens mendacium ipse est cauda: & cum Prophetarum tuorum Spiritus, ater an albus fuerit, etiam ab ipsis Prophetis tuis ignoretur, neque ex Spiritu Dei, sed Battaui cuiusdam sacculo (Cinglio palàm profitente) deprompta Prophetia sit, nullo Prophetarum numero eos meritò habemus.

Esa. 19.

69. Scorpij non semper recto, sed obliquo & inflexo ictu pungere dicuntur. Id præstat hic noster Scorpius. Etsi enim qua est hypocrisi, D. D. Chemnicium, Chytræum, & similes commendet, tamen addit: non omnia ipsorum eodem loco habenda. Sed quid sui cum Amaricino? Nos verò nequaquam tam iniquos habet iudices Cuculus, qui omnia ipsius eodem loco & quidem secretissimo habenda arbitra-

arbitramur: neque enim periculum eſt, ne idcirco Eccleſia ruat à culmine.

70. *Conſeruos ſuos eum nos facere ſuprà monui, vt autem hypocritam & vanitati ſeſe totum deditum eſſe demonſtraret, hoc loco ita coccyſat: Vt quod res eſt dicam, eiusmodi hominis, donec non mutat ingenium, magis peſtilens eſt amicitia quàm inimicitia. Et: vt lenti ſecuridaca, & hordeo feſtuca, quæ Ægilops dicitur, ita nobis quorundam diuerſam doctrinam docentium, coniunctio planè recuſanda eſt, donec inquam peſtilenti fermento, maſſam doctrinæ Chriſti corrumpere non deſinant. Itáne ô Cucule, beare ſoles amicos tuos? itáne conſerui tui ſumus? an verò nihil planè Chriſti in illis eſt de quibus dicis? ſed ſuo ſe prodit, vt Sorex, indicio, tua hypocriſis.*

71. *Lenti quòd ſeſe confert, & nos ſecuridacæ, in eo mihi aberrare Cuculus videtur. Lens n. ſi Phyſicis credimus, æquanimitatem adfert, quæ cùm Cuculo planè nulla ſit, ſed ingens faſtus: fabis vel piſis quàm lenti aptius comparari poſſe puto, illæ enim plurimum inflare leguntur.*

72. *Scorpionibus quibusdam ſeptena caudæ internodia eſſe, Plinius ait, & eorum ictus venenatiſſimos: Noſter autem non ſeptena dũtaxat, ſed ſepties dena, & amplius etiam caudæ internodia habet. Etenim vt Præceptorem omnibus exoſum redderet, barbaricè & cyclopicè eum collegas ſuos tractare, atq; notum magis quàm charum eſſe, affirmat. Reſpondeo. Dicas eſſe Atticum teſtem, aut Mineruæ ſuffragium, adeoque mera oracula Delphica, imò non ex Tripode ſolùm dictum, ſed ex ipſis Iouis tabulis deſumptum teſtimonium. Verùm vt video, ex ſuo nos iudicat ingenio. Cùm enim, vt Salomon inquit, inter ſuperbos ſemper ſint iurgia, non poteſt cum ſuis ei diutius conuenire, quàm quouſque faſtum hypocriſi tectum occultat.*

73. *Volaterranum etiam Præceptorem vocat, ipſe enim & gregales, cùm ſe ab exteris non magnifieri animaduertant, quæ ipſorum arrogantia eſt, domi deſident. Sed reſpondemus ipſis idem quod Anthiſtenes Athenienſibus, iſtud laudis, inquit, vobis cum Cochleis & teſtudinibus commune eſt.*

74. *Venatorem autem cur facis Præceptorem? fortè tibi venator ille eſt, cui tu Bonaſus es. Eſt autem beſtia hæc equina iuba, cætera tauro ſimilis, cornibus ita in ſe inflexis, vt pugnæ ſint inutilia, ideo ſola fuga ſibi conſulit, ita quidem vt ſparſo ſimo venatores inſequentes ceu ignis aliquis adurat. Sed vtcunq; illa, certè te cane venatico vti nõ vult, quod Diogenianum te eſſe intelligat, ille enim, cùm canem ſe profiteretur, interrogatus, qualis nam canis eſſet, reſpondit: Eſuriens Melitæus: Satur, Moloſſæus Eſuriens enim blandior, ſatur mordeo: ſcis quid velim?*

75. *Monachum Bebenhuſianum facit Præceptorem, ſed vide mi Cucule Monachum audaculum, dum venatum in ſyluas Bebenhuſianas, Bacchico zelo æſtuans, egreditur, incidit in feram beſtiã, turpißimam (inquam) beluam, Tortodoxum Conſenſum vulgò nominant, quæ in longum latumqúe aperto rictu, hactenus plurimos, quòd ignota eſſet, ceu Cumanus ille leo, perterrefecerit, eam Monachus hic magno & forti aggreſſus animo, monaſtico ſuo, imò verbi Dei venabulo, ita confecit, vt miſeram & infœlicem animam non ſine ſuorum gemitu in his ipſis ſyluis exhalârit.*

76. *Proteum Præceptorem appellat. Etſi autem Proteum ipſum eſſe, facilè oſtenderim, niſi Ecebalus potius dici velit, Proteſilaum tamen quàm Proteum ipſum dicere malim. Quemadmodum enim ille, contempto oraculo, quo primus periturus dicebatur, ſi Troiam acceßiſſet, & abijt, & Hectore ſuperante, primus occubuit: ita noſter dum contemptis admonitionibus, domi vt ſe contineret, Heydelbergam infœlix diſputator properat, ſi non occubuit, ſuccubuit tamẽ miſer, & Proteſilai fatum penè expertus eſt.*

77. *Mo-*

77. *Momum etiam Præceptorem appellat, quòd eadem, E A-D E M aliâs laudet, aliâs damnet: Nam & Philippum, & corpus doctrinæ eius laudasse & insectatum esse. Respondeo. Iracundiam parere mendacium dixit Athanasius, id etiam Cuculo iracundo accidit. Neq; enim eundem Philippum, sed sibi dissimillimum, dissimili ratione, laudamus & improbamus, atqui adeò vt olim quidam à Philippo Maced: ebrio ad sobrium prouocauit, sic nos à dormiente ad vigilantem Philippum Melanthonem prouocamus. Ita non eadem in corpore doctrinæ probamus & damnamus, sed quæ cum corpore doctrinæ cœlestis consentiunt, accipimus, cætera verò ijs relinquimus, qui non Melanthonem solum, sed & seipsos Deos credunt. Vtinam verò (quod Alexander Macedo de se olim dixit) Dijs non inuisi.*

78. *Plumbea tela eiaculatum dicit Præceptorem, atq; obtusa. Respondeo. Si vulneris dolorem, quem ex obtuso plumbeo telo accepit, vsque adeò dissimulare non potest, quid fiet, si quando telum nostrum ferrum acuminatum habens sentiet? Nam quæ de sputo quod Præceptor in fronte exceperit, loquitur, fatemur sanè, & vicem eius dolemus, quòd ab impio & ingrato discipulo consputũ Præceptorem esse, nunc publicè omnibus, non magna cum iuuentutis ædificatione, appareat.*

79. *Scarabæus etiam ipsi est præceptor. Istud verò bene, quia Scarabæis (inquit Plinius) negatus est aculeus, quod de Cuculo nostro non posse dici, etiam suprà memini, atqui Scarabæo eum hoc nomine contuleris. Sunt ei (inquit idem author) cornua prælonga, bisulcis dentata forcipibus, in cacumine cùm libet ad morsum coeuntibus: Ita Cuculo quod aculeus negat, præstant cornua, & quos pungere non potest, premit.*

80. *Hominem agresti ingenio Præceptorem suum calumniatur, nec illud omninò malè, Philippi Macedonis exemplo. Cùm enim nonnulli conquererentur, esse in illius comitatu, à quibus ipsi*

proditores appellati essent. Respondit: Homines rusticani sunt & agrestes, qui parum eleganti ingenio, ligonem nil nisi ligonem dicere nôrunt.

81. *Cùm publica disputatione piam doctrinam de persona Christi & sacra eius Cœna traduxisset, iam à nobis petit, si quid desideremus, vt epistola priuata id ei significemus: Verùm idem ei, quod olim Socrates Platoni, respondemus. Cùm enim ille quendam in conuiuio obiurgaret acriùs, dixit ei Plato, satius fuerat hæc ei seorsim à te dicta esse: cui Socrates: Sed & hoc satius erat, te mihi illud etiam dixisse seorsim.*

82. *Vt cominus Basileæ seu Heydelbergæ secum conferamus iubet. Mihi autem in mentem venit M. Trusi Tribuni plebis insolentia, quem cùm Senatus vocasset in curiam, & cur non potius (inquit) Senatus ad me venit? Et quidem Senatus Tribuni verbis paruit, nobis autem Tribunitio Cuculo parêre, non satis est integrum, nam nos vestigia terrent. Etenim hæreticos gladio ferire iubent, ita quidem, vt ne resipiscentibus parcendum velint, ne scilicet ad vomitum redeant. Iam verò hæreticos nos, Eutychianos, Nestorianos, Manichæos, Marcionitas dudum dixêre, doctrinam autem nostram ipsius diaboli excrementum. Rebus itaque vt nunc stantibus, eò accedere nobis non satis tutum videtur. Et quare Heydelbergam nos inuitat, cùm ignoret, quamdiu illa ferre eius fastum & animi impotentiam possit, ita enim res eius habere accepimus, vt idem de ipso dici possit, quod de Stratonico olim anus quædam Corinthiaca. Ille enim postquam ita se hospes Corinthi gessisset, vt prima die ingratus esset, anus intuita ipsum cum admiratione, dixit: Miror si te mater decem menses in vtero pertulit, cùm nostra ciuitas vix vnum diem te habeat & doleat.*

83. *De Gallo Iurisperito refert Cicero, quòd cùm ad ipsum causa delata esset, qua non de iure, sed de facto controuerteretur, respondis-*

ſpondiſſe: Nihil hoc ad me, ad Ciceronem ito, aliud nimirum Iuriſconſulti, aliud oratoris officium reputans. Noſter verò Cuculus, non ſemel iraſcitur nobis, quòd Medicis, Iureconſultis, Oratoribus, Philoſophis, & neſcio quibus, iudicium in controuerſia religionis non non deferamus, nimirum qui in ſcripturis nihil præſidij ſibi eſſe animaduertunt, Titanas implorant. Hi enim domus ipſorum anchora ſunt, & familiæ columen, paulò pòſt, vt opinor, etiam Acheronta mouebunt. Sed audi mi Cucule Hieronymum: "Habet (inquit ille) vnumquodque propoſitum ſuos principes, "Romani Duces imitentur Camyllos, Fabritios, Regulos, Scipiones. Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem. Poëtæ æmulentur Homerum, Vergilium, Menandrum, Terentium. Hiſtorici Thucydidem, Saluſtium, Herodotum, Liuium. Oratores Lyſium, Gracchos, Demoſthenem, Tullios. Epiſcopi & Presbyteri Apoſtolos & Apoſtolicos viros. Sic nos cum Hieronymo: Iuriſperiti proponant ſibi Bartolum, Baldum, Accurſium, Imolam, Abbatem Archidiaconum. Medici æmulentur Auicennam, Auerrhoem, Hippocratem, Galenum, Theophraſtum. Imò ſinguli æmulemur illud Apoſtoli: Propria agite.

84. *Atqui inquit Cuculus, ſic etiam Lucas, qui Euangelium & Acta conſcripſit, in alienam meſſem falcem miſit. Reſpondeo. Quaſi verò hiſtoriam conſcribere, & de controuerſijs religionis, præſertim Sacramentorum Myſterijs pronunciare, idem eſſet. Num ſic ineptis ſtolide? num etiam in meridie adhibenda tibi lucerna eſt?*

85. *Huic non eſt diſſimile, quod de Eldad & Medad in caſtris Prophetantibus adfert (tam fœliciter Cuculi in ſacris verſantur.) Nã & proprius ipſorũ Propheta, Caluinus, ad miraculũ id refert, et extra ordinẽ factum ait, ideoq; æmulari aut reprehendere eos, Iosuam non decebat. Quòd ſi ſingulari miraculo, ſicut Eliſa, ab aratro ad mi-*

ad ministerium & sacrorum tractationem vocati sunt, faciant nobis eius rei fidem, & gratulabimur illis fœlicitatem.

86. *Ingenuè profiteor inquit Cuculus, me à lappis tribulis & stercoribus insulsorum scriptorum non minus quàm à Lullianis & alijs scurrilibus scriptis, ad meliora scripta manum, oculos & mentem esse conuersurum. Hactenus de Præceptore suo insignis ille nostri seculi Theologus, sola Ambrosia, Deorum cibo dignus, & Lydio curru vehendus. Primò autem quare tuam ipse calcas terram, cur propria cædis vineta? Si quis enim scurrile aliquod scriptũ Lullianis lappis & stercoribus vtraq; pagina refertum, videre desideret, in hac tua Apologia tanquam in tabula, rudius & planius perspiciet, vt meritò nidum tuum commaculasse & in tuum ipsius sinum inspuisse dici possis. Deinde, quare nobis tantoperè succenseris, quòd Lulliana vestra & scurrilia profectò scripta, imò impia & blasphema, iuuentuti nostræ obtrudi à vobis non ferimus, cùm tu ipse, dux gregis, & oculus agminis tibi ita faciendum censeas?*

87. *Prælatum etiam & Abbatem facit Præceptorem atque Præpositum. Sed audi Cucule, quid tibi Monacho refractario & fugitiuo de Abbate & Præposito tuo dicat Hieronymus: Præpositum tuum timeas vt Dominum, & diligas vt parentem. Credas tibi salutare quicquid præceperit. Quod si factum à te fuisset, & reuereri præpositum tuum quàm eo prior esse maluisses, nunquam te tam turpiter dedisses, vt nunc sis vulgi quoq; factus fabula.*

88. *Ex Cancellarij oratione augmentum sumpsit tumor Cuculi, &, inquit, amplissimi illius viri orationem vobis oppono. Respondeo. Si Cancellarius ille, vt nouo hospiti siue gratularetur, siue adularetur, ex musca elephantum facere voluit, id ad nos nihil attinet. Neque enim qui pede maiorem, sed qui conuenientem calceum consuit (vt olim ille dixit) sutor, commendabitur. Et quare non potius Socratem imitari voluisti Cucule, is enim legens Platonis Ly-*

nis Lysiam, cùm laudes eas, quas sibi immodicas tribui videbat, pro sua modestia non agnosceret, exclamans dixit: Deum immortalem, quàm multa de me mentitur ille? Certè nisi Suffenus esses, istud Alexandri Macedonis in mentem tibi veniisset, qui Aristobuli historiam, quòd multa supra fidem fingeret, in fluuium Hydaspen demersit, & ad authorem conuersus, tu, inquit, dignior eras, qui eò præcipitareris, qui solus me sic pugnantem facis.

89. Quod de Augustino quodam Pontificis ad Anglos legato nugatur, qui Ministris Anglis non assurrexerit, sibi & suis dicat, qui vel redemptori suo, non dicam non assurgere, sed ne quidem caput aperire dignantur, cùm si reuerentiæ causa non vellent, saltem valetudinis suæ rationem, homines non satis sani, haberent, quam confirmari hoc ipso, diuersi authores scripsere.

90. Sed & Dei indignationem & vindictam nobis, ingratus Cuculus, pro exhibito hospitio comminatur. Hic, inquit, sternet vos sub pedes suos. Sed respondemus id quod Rex Agesilaus Tissaphberni Persarum regis duci, qui cùm violato fœdere, regis sui nomine Spartanis bellum & exitium denunciaret, respondit Agesilaus: Bene est, quòd Thissaphernes, postquam Deos & homines periurio suo offendit, nunc nobis malè minatur.

91. Indoctos nos homines esse passim affirmat. Sed Antaclidam sibi respondentem nostro nomine audiat. Cui cùm Athenienses quidam ruditatem exprobrasset, nimirum inquit indocti, quia nihil mali à vobis discere voluimus.

92. Amburbias oberrationes Præceptori tribuit, ipsi enim T. Quintij consilium amplectuntur, qui Achæis bellum, nescio quò, translaturis, dixit: Ego verò vos moneo inquit, ne capita extra testam proferatis, ne proteramini. Singulari autem Dei prouidentiæ tribuimus, quòd vos domi consenescere voluit. Sicut enim Philippus Macedo olim conuiciatorem exilio nequaquam mulctandum censuit, ne, inquit, sic oberrans, apud exteros etiam nobis maledicat.

Ita vos domi residere consultum est, ne VBIQVE oberrantes, VBIQVE de vbiquitarijs malè loquamini.

93. *Sese, ait Cuculus, ceu Cygnos læta veritatis pœana Deo canturos. Verùm ego ipsis tacere (sicut Bias olim censuit) satius esse iudico. Bias enim Philosophus, cùm eâdem naui veheretur, qua impij nonnulli, & aduersa tempestate exorta, hi de precibus suis multa dicerent, ille, silete, inquit, potius, ne Dij vos hîc nauigare sentiant.*

94. *Nolle se porrò cuiquam doctrinæ suæ rationem reddere, ait: In quo solo, si quisquam alius, sapit magis etiam quàm Pericles: Hic enim Alcibiadem, inuisere ipsum volentem, non admisit, quòd ei non esset ocium, cogitanti, quomodo rationem redderet Atheniensibus. Cui Alcibiades, atqui satius fuerat, inquit, cogitare, quomodo rationem non redderet. An verò Cuculus hoc modo officio suo defunctus sit, aliorum esto iudicium.*

95. *Ægrè fert etiam Cuculus, se inconstantiæ redargui. Sed si verum quis dicere velit, non alia eius Theologia est, quàm olim Antigoni militia, qui à Pyrrho prouocatus, vt loco iniquo confligeret, respondit: Mea militia non tam armorum est, quàm temporum, & quidem prudenter ille in militia seculari: verùm in Christi militia fidem & religionem temporum occasionibus metiendam, nemo nisi Cuculus impius dixerit.*

96. *Putidum mendacium etiam est, ait Cuculus, quod Iacobus Andreæ scribit, Patres bis nobiscum pugnare per omnia. Et quare (ait) fidem eis derogare ille conatus est, si secum facere existimat? Respondeo. Si D. Iacobus Patres bis vobiscum pugnare dixit, assentior sanè tibi. Centies enim, imò millies vobiscum pugnare, ex Refutatione Tortodoxi Consensus patet. Nam quòd derogasse illũ vetustati dicis, etsi non probes, tamen si largiamur, an non idem à vobis, Caluino, Beza, & alijs factum, in Refutatione Tortodoxi Consensus docuimus? Istud autem quod de viro quodam docto adfers,*

fers, qui in Refutatione Consensus Tortodoxi crimen falsi commisisse nos dicat, quod publico scripto ostensurus sit. Respondemus, non ingemiscit Antigenides, si Tellus nouas tibias habeat, vt olim de Athenienſibus dixit Epaminondas. Et si vir bonus ille est, prodeat in lucem: sed fulgur ex pelui est, & quauis Alga vilior excusatio: neq; prius id futurum, certò scimus, quàm testudo leporem cursu præuerterit: Aut lupus ouem vxorem duxerit.

97. *Totos quadraginta annos maledicentiorem librum non prodijsse ait, quàm Præceptoris. Respondeo. Mutato nomine de te fabula narratur, id cùm etiam tui non dissimulent, nihil addam.*

98. *Habes hîc pie Lector, inquit Cuculus, triste exemplum contemptus oraculi diuini: Num dispertitus est Christus, num Paulus crucifixus pro vobis? Respondeo. Habes pie Lector triste exemplum hominis ambitiosi, eruditionis quidem persuasione ebrij, sed re ipsa valdè ieiuni. Neq; enim inter Paulum & Collegas, in doctrina dissensio fuit, sicut inter nos, & eos qui Cinglium & Caluinum sequuntur: sed propter dona diuersa, persona alia plus, alia minus in admiratione fuit, & propter personam doctrina, id reprehendit Paulus: igitur optandum Cuculo fuerat, sua eum studia melius confirmasse, quàm sit factum.*

99. *Gloriatur aliquoties, sua Disputatione confirmatos nonnullos in piâ ipsorum doctrina. Sed fallaciâ diuisionis, ludit Cuculus, quod enim coniunctim dicendum erat, impiâ doctrinâ confirmatos, ille diuidendo in piâ doctrinâ confirmatos, nugatur.*

100. *Ementitam vbiquitatem appellas. Rectè, siquidem de te accipiatur: Nam vt doctorẽ ementireris, quem tũ parturiebas, sollicitè te vbiquitatẽ ementiri, & periurio etiam ementiri, nõ puduit.*

101. *Quòd sibi homini inerudito summũ gradũ cõtulerint, peccatũ esse à Præceptoribus ait. Resp. Idẽ quod Philoxenus cuidã interrogãti, quare Sophocles mulieres semper bonas in tragœdijs induceret, ipse verò malas. Resp. Sophocles inducit nõ quales sunt, sed quales esse debebant. Sic collatus tibi est ille, non quòd talis esses, sed vt*

calcar foret, talis vt euadere indefesso studio contenderes. Quòd verò tu etiam teipso factus es deterior, rectè tibi illa obijciuntur.

102. Caluinum aliquando à nostris non admodum alienum fuisse, notorium mendacium esse Cuculus ait, quòd autem eius rei se conuinci posse non ignoraret, ideo occupatione vsus inquit: Fuit Caluino suum quoddam dicendi genus, quod imperiti quidam secus atq; oportuit interpretati sunt. Illud verò quo loco habendum sit, eruditi facilè animaduertunt.

103. Inter cætera ait Cuculus, non se prius creditur͠ũ D. Iacobo cum Collegis benè conuenire, nisi testimonio publico eius rei fidem faciat. Respondeo. Et quanti tandem nos facere putat fidem suam & testimonium, penes quem etiam non magna est iurisiurandi religio? Itaq; ne erret, libenter fatemur, nos, quid ille de nobis dicat aut sentiat, quo est candore, non magis quàm de Connæ calculis, aut ranis palustribus laborare. Venit tamen mihi in mentem Ephororum apud Spartanos factum, qui cùm de bello aduersus persas consuluissent Iouem Dodonæum, & ille votis ipsorum annuisset, tamen & Apollinem Delphicum interrogandum sibi putarunt, Patri Deo scilicet non credituri, nisi filius Apollo id ipsum quoq; confirmasset.

104. De magni nominis Iureconsulto quodam quæ dicit: respondemus, & Herostratum postquam Ephesi nobilissimum Dianæ templum petulantur incendisset, magnum sibi nomen comparasse. Et si factam illi iniuriam censes, quare innocentiam eius negligis? Verùm cùm ille (nisi fallor) nunc satis intelligat illud Apostoli:
1. Cor. 7. Vnusquisque in quo vocatus est, in hoc permaneat, ego nihil amplius adijciam, ne afflicto afflictionem addidisse videar.

105. De Saxonicis Ecclesijs quæ scripserat, nunc eorum fortè pudet, ideoq; negare ei visum est: Quia verò de quibus dixerit alijs, docere non potest, nec nos à sententia nostra recedere possumus.

106. Institutionẽ sacræ Cœnæ sese ad λόγον retulisse, nũc quoq; inficiatur: sed videat qui velit thesin disputationis eius quintam, qua à Filio Dei Sacram cœnã institutã esse expressis verbis scribit.

107. De

107. *De toto Christo & toto Christi, quæ sophisticatur, respondemus: An non id totum est & dicitur, quod suis perficitur partibus? aut anné vobis definitur totum Christi sine partibus (vt sic dicam) integralibus, nisi fortè humana natura ad totum Christi non pertineat? Sed ita imponere lectoribus homines candidi student, vt quando dicant, totus Christus Ecclesiæ suæ præsens est, intelligendum sit, dimidius Christus, siue diuina eius tantùm natura Ecclesiæ præsens est. Istud verò quàm candidè fiat, ipsis curæ non est, modò tali fraude circumuenire simpliciores possint. Vt itaq; Cuculus noster simplex, apertum & candidum nostrum responsum habeat, fatemur, nos vtrumq; credere, & totum Christi, & totum Christum Ecclesiæ suæ præsentem esse. Et totum Cuculi & totum Cuculum, simulatum & fucatum, fictum & Hypocriticum esse: quòd si sententiam nostram non satis intelligit, ad copiosiorem explicationem nos offerimus.*

108. *Quæ de frequenti suo auditorio ambitiosè recitat, etsi alij diuersum dicant, tamen si id ei indulgeamus, videndum nihilominus erit, ne idem, quod Cytharædo cuidam apud Iassios, ei accidat. Ad eum enim cùm Iassij, rei nouitatem admirati, frequenter initiò accurrissent, interim autem tintinnabuli sono ad piscium mercatum inuitarentur, vniuersi abiêre, præter vnum, qui quòd surdaster esset, signum datum non animaduerterat. Cui cùm gratias Cytharædus ageret, quòd ne tintinnabuli quidem sono abstrahi se passus esset, indignatus ille, quærit: ergò ne signum datũ est? Cytharædo annuente respondit surdaster: at ego profectò non animaduerteram, & discedens ocyus, Cytharædum sibiipsi ludere iussit.*

109. *Quæ de Beumlero quodam (alienum araturus fundum) & prodigiosa eius eruditione narras, nimirum vt in ipso tandem hæc cudatur faba, laterem lauas. Idem enim tibi, quod Aristides cuidam respondit: Cùm enim inter duos Iudex, causam cognosceret, & illorum alter multa extra causam commemoraret, quibus Aristidem*

aduersarius læsisset, interpellans Aristides, ego inquit non mihi, sed tibi Iudex sedeo, isthæc ergo nunc missa fac bone vir, & tuam causam age.

110. Tandem inquit Cuculus. Agnoscit Iacobus Andreæ, mentitos eos, qui me sæpè ad silentij metum adductum, falsò gloriati sunt. Quid ita verò mi Cucule? quia inquit, historijs & fabulis me tempus triuisse ait. Respondeo. Occurrit mihi hoc loco Euclionis cuiusdam responsum, qui, cùm sordes sibi exprobrari audiret, quòd veteres & detritos calceos venderet: Nequaquam verò inquit, sed emo, quasi non eòdem recidat, aut quasi aliquid interfit, tacere ad obiecta, aut pro eruditis solutionibus ridiculas fabulas recitare.

111. Hîc verò currus boues trahunt, & cancri capiunt lepores. Nam de non Entis efficacitate si qui tumultuabuntur inquit Cuculus, Dominus eos compescet. Respondeo. Mirabar initiò, quid rei esset, & quare paucis tantùm ista attingeret, sed postea quid esset, comperi. Postquam Disputatione publica in eos ceu compedes homo eruditus coniectus esset, vt concedere vel inuitus cogeretur, aut non entis esse accidentia, aut patres veteris Testamenti, non eandem nobiscum escam in Sacra Cœna comedisse, ille, quòd errorem errore cumulare, quàm vnum agnoscere satius crederet, non entis etiam accidentia esse, largitus est. Ob huius paradoxi subtilitatem, cùm explosus esset publicè ab vniuerso auditorio, iam eum pudere incipit, & Christum sibi, malæ causæ patronum, substituere conatur. Hac nimirum virgultea scaphula Ægeum transmittit Cuculus.

112. Conseruos suos nos etiam inuitos facit, se enim pro conseruis agnoscere ait, in quibus aliquid Christi videat. Respondeo. Id quidem meritò, si enim Ethnicos, in quibus nihil Christi fuit, non solùm conseruos, sed etiam cohæredes regni Dei agnoscitis, quid ni & eos, qui aliquid Christi habent, Anabaptistas, Arianos, Nestorianos, & his similes. Et sic quidem rectè dixit ille, nolle se Cinglianum cœlum ingredi, si enim in eo Ethnici sint, de quibus scriptum est, qui

non

non credit, iam iudicatus est. Et: Qui non crediderit, condemnabitur, ego sanè ne hosti quidem id cœlum optarim.

113. *Quòd Doctori Patienti piæ, memoriæ, conferendi copiam facere noluisset, id sic excusat. Quare inquit eius rei copiam sibi fieri ab Illustrissimo Principe non petiuit? & quare non autor socijs fuit, vt à prolixis suis sermonibus abstinerent, & doctiori Doctori locum darent? Respondeo. Si Princeps Illustriss: in mora fuit, quid accusas socios? Si socij impediuerunt prolixis sermonibus, quid accusas Illustriss: Principem? satinne sanus es? Et quid ô Cucule: ergò ne Disputatio vestra nec publica fuit nec libera, sed qui copiam prius ab Illustriss: Principe peteret & obtineret? nam quod de socijs ais, fabulam esse non ignoras, cùm ipsimet etiam intercederent pro illo multoties, vt audiretur.*

114. *Ne autem vlla in re ipse sibi desit, quòd videret se publico auditorij testimonio non semel explosum, ipse sibi fert testimonium. Ædidi inquit orationem, quæ apud bonos etiam inuito D. Iacobo mihi abundè magno documento est & erit, nequaquam ita turpiter me dedisse. Respondeo. Quid audio? ergo etiam tuo suffragio victor es, & tuo ipsius decreto triumphas? Tu ne Cato Romani generis disertissimus es? qui tuo testimonio, & prudentiæ tuæ credi velis, vt olim de Vigilantio scripsit Hieronymus? Sed oportebat te illud fratrum tuorum meminisse: Tu de te ipso testimonium perhibes, ideo testimonium tuum non est verum. Ioan. 8.*

115. *Dolet etiam homini, & de eo aliquoties conqueritur, esse se publico scripto à Doctore Iacobo reprehensum, qua in re me penè consentientem habet. Si enim Antalcidas Sophistam quendam risit, qui sibi Herculem laudandum sumpserat, quem nemo vnquam reprehendisset, quid vituperare admodum opus erat eum, quem nemo vnquam laudauit, nisi ipse seipsum? Conuenit tamen Cuculum meminisse illud Augustini. Iniquum est*

(ait ille)

(ait ille) vt quisquam de alio iudicare velit & de se iudicari nolit.

116. Miserum mancipium Præceptorem suum dicit. Rectè & illud, voluit enim ostendere Cuculus, non maiorem suam esse quàm olim Heliogabali, turpissimæ bestiæ, pietatem, qui Senatores Romanos, quòd moribus ipsius parum propitij essent, togata mancipia appellare consueuerat.

117. Miratur, quare contra ipsum Præceptor in harenam prosilierit. Respondeo. Ideo factum, ne (vt quidam dixit) se Præceptore te istam impietatem didicisse quis existimet.

118. Hîc & Capra nondum peperit, & hœdus ludit in tectis: De Palinodia enim Berengarij (qua Caluinismũ ille reuocauit, ea fide, qua Caluinianũ hominẽ decebat, adeò semper illi sibi fuerunt & sunt similes) pueriliter exultat, & inter cætera ait: contra quam D. Iacobus ne hiscere quidem audet, quod non magis verum est, quàm si in aêre piscatum se diceret, aut in mare feciſſe sementem. Nam per paginas tres penè integras, mi Cucule, ita respondit, vt primò ostenderit, gregales tuos in eo crimen falsi commisisse, ad quod cùm ne hiscere quidem audeas Cucule, an non turpiter te & causam vestram deseris. Deinde responsum est ijsdem phrasibus (quas Palinodia habeat) & patres vti, itaq; per Lutheri latus ipsam Antiquitatem te petere, vbi rursus Cuculus ne hiscere quidem audet. Neque enim ignorat, ita planè rem se habere. Et vt intelligas Christiane Lector, qua fide egerit Cuculus & socij Caluinistæ, Lutheri verba subijciam, ex quibus Cuculum non esse virum bonum apparebit,

Luth. in Maiori Confess. Tom. germ 3. Ien. Pag. 487. de Palinodia Berengarij.

„ adeò perspicuè, vt contrà hiscere non possit. Ait autem inter cætera
„ de palinodia Berengarij Lutherus: Perpetuò verum manet, quòd
„ nemo corpus Christi videat, tangat, comedat aut dentibus conterat,
nam quod de pane fit, rectè & benè corpori Christi tribuitur, propter vnionem Sacramentalem: Hæc etsi centies ipsis dicta & scripta sint, tamen mentiendi tanta libido illis, tantus calumniandi, siue ardor siue furor inest, vt hunc coccysmum repetant perpetuò.

119. Doctri-

119. *Doctrinam piam de Cœna Domini fermentum pestilens, massam Doctrinæ Christi corrumpens esse, placidè & modestè conuiciatur. Respondeo. Vbi fermentum inueniatur, Theophylactum quàm stolidum Cuculum audire præstat: Hypocrisin & simulationem (inquit ille) fermentum Christus vocat, quòd acerba illa sit & plena veteris malitiæ, & transformet & corrumpat secum mentes hominum quibus admixta fuerit. Nihil enim sic mentes hominum alterat vt hypocrisis, omnis enim hypocrisis mendacio plena est, & aliud est & aliud fingit.*

120. *Hechingense latinum vestrum est, inquit Cuculus. Esto. Et oratio vestra etiam Ciceronis purior & nitidior, quid tum postea, anne ideo causa nostra deterior, quia fabulæ vestræ est melior histrio, vt olim Iphicrates dixit? Quantò satius erat te Pausaniæ illud cogitasse, qui suis militibus barbarorum cæsorum pretiosas vestes admirantibus dixit: atqui præstiterat ipsos pretiosos fuisse potius, quàm vestes. Ideoque vobis idem quod Archidamus Dionysio Siculo, qui filiabus suis splendidas vestes dono miserat, respondemus. Remissis enim ijs, Regi dicere iussit, vereri se, ne filiæ viris honestis in hoc amictu magis turpes viderentur. Sicuti enim veritatis simplex est oratio, ita meritò suspectum quicquid fucatum. Ita etsi nostra oratio sit impolita, tamen vera fide erudita, sicut de Samsuccio Turensi Episcopo olim Augustinus dixit. Epist. 168.*

121. *Prætumidum fastum seu arrogantiam Præceptori adscribit, sed quare nõ eum tu, siue ex Hippocrate siue Theophrasto medicamento adhibito, subsidere facis? Vide autem ne idem tibi, quod Diogeni, amico & familiari tuo, accidat; is enim à Platone inuitatus, cùm variè exornatam domũ videret, apprehensam culcitram pedibus calcauit, interrogatus, quid nam faceret? respondit: fastum Platonis calco, cui Plato: calcas inquit, sed maiori fastu.*

122. *Lutherum aliquoties nobis obijcit, quasi ab illius sola authoritate pendeamus. Sed respondemus idem quod Alexander de*

Homero dixit: Mallem, inquit, Homeri Therſites eſſe, quàm Achilles Cherili. Ita liberè profitemur, malle nos D. Lutheri piæ memoriæ mancipia eſſe, quàm Cuculorum libertos, adde & Patronos, ſiquidem clientuli tam ingrati eſſe volent.

123. *Iraſcitur Præceptori, quòd Thomiſticis aſinis quædam dixiſſet. Mirabar initiò eius rei cauſam, ſed poſtea quid eſſet animaduerti. Thomæ & reliquorum doctrina eſt: Accidentia poſſe eſſe ſine ſubiectos à quibus cùm ille didicerit, non entis eſſe accidentia (quod perinde eſt) ideo Thomam ſibi defendendum credidit.*

124. *De latratibus quorundam, qui in Cœnobiorum latebris lateant, conqueritur. Sed quare non meminit dictum Nicetis, cui cùm quidam diceret: & quando latrare deſinies? reſpondit, poſtquam tu mordere.*

125. *Noſtrorum hominum ſententiam de Communicatione Idiomatum publicè ex ſcripto prælectam, Vuitebergæ, probauit D. Iacobus, ait Cuculus. Reſpondeo. Si verum eſt, candoris veſtri argumentum id eſt, & hoc ipſum, de quo ſubinde conquerimur, vos fucum facere imperitioribus, dum noſtris verbis veſtram ſententiam tectè & fraudulenter ſimplicioribus obtruditis, Ethnicorũ potius quàm candidorum Theologorum exemplo. Cicero enim cùm Munatio patrocinatus fuiſſet, & obtinuiſſet, hic autem accepti beneficij eſſet immemor, dixit ei Cicero: iudicium non tua opera effugiſti Munati, ſed mea, qui multum caliginis Tribunalibus offudi. Ego autem ad Hieronymum te ablego, qui inquit: Nolo verborum ambiguitatem, nolo mihi dici, quod etiam aliter poſſit intelligi, cur non meis verbis ſenſum meum loquuntur? Nunc verò quæ iſta ſimplicitas eſt, quaſi ſuper oua & ariſtas, inter theatrales præſtigias pendenti gradu incedere, vbiq; dubium, vbiq; ſuſpectum? putes eum non expoſitionem fidei, ſed figuratam controuerſiam ſcribere, & noſtra aduerſum nos dimicat armatura.*

126. *Imperitiæ alienæ (inquit de ſeipſo Cuculus) quare*

Iacobus

Iacobus Andreæ non quam oportuit, rationem habuit? Respondeo. Imperitiæ certè aliquid condonandum fatemur, sed ijs, qui se omnium hominum primos esse putant, nec sunt, ijs, inquam, ostendendum est, vt id, quod tantoperè affectant, magis esse quàm videri velint, vt Gregorij verbis vtar. Nam vt Hieronymus inquit: Nihil prodest æstimari quod non sis: & duplicis peccati reatus est, non habere quod crederis, & quod non habeas, simulare. « De laud. Virg.

127. *Nostrûm non esse ait Cuculus suis Magistratibus præscribere, quid cum hæreticis sit agendum. Respondeo. Cum Magistratibus vestris nobis nihil est negocij, sed vobiscum, qui rerum criminalium iudices, capitalibus vestris sententijs, hæreticorum ceruices gladijs subijcitis, numinis diuini vindictam Magistratibus comminati, nisi id faciant. Sic enim Beza: Quînam stabit familia hæc, (inquit) in qua metuit, qui terrere debebat? Et rursus: Moram etiam vel cunctationem coram Deo excusari non posse. Et quòd Princeps quidam aliarum etiam Ecclesiarum sententias exquisiuisset, molestissimè ille tulit: Hunc oportuit, inquit, potius alijs Ecclesijs exemplum præbere, quod sequerentur. Tanto etiam furore, vt ne resipiscentibus quidem parcendum putet, nimirum ne ad vomitum redeant.* « Epist 80.

128. *Sese ait Cuculus adeò fuisse modestum, vt ne quidem incredibilis importunitas infestorum hominum, vocem vel gestum impatientiæ indicem potuerit exprimere, & ne dum inquit, me eius propositi de perpetua moderatione pœnitet. Respondeo. Sed quo pacto illud persuadebit prudentibus, se adeò intra parietes moderati fuisse ingenij, cùm scripto publico, & quidem in Præceptorem ita debacchatus sit, vt calumnijs atque conuicijs sese penè infamem reddiderit. Et esto, quod nunquam credemus, quare non cogitauit illud Catonis: Nec te Collaudes, nec te culpaueris ipse: Hoc faciunt stulti, gloria quos vexat inanis. Itaque idem tibi quod Agesilaus Menecrati cuidam Medico respon-*

demus. Cùm enim hic arrogantis ingenij homo scripsisset Agesilao: Menecrates Iuppiter, Agesilao Regi salutem, Rex nihil aliud respondit, quàm: Agesilaus Menecrati sanitatem.

129. Sæpenumero suorum, imprimis autem Basilienſis Academiæ testimonio plurimùm superbit, quasi verò ignotum nobis sit Cucule, quo loco habendi sint testes domestici, quasi non mutuò Muli scaberent sæpiusculè, quasi inquam nesciremus mutuas vos operas tradere, sicut Olearios in velabro. Et vt alios omittam, quid quæso Basilienſi testimonio nos frustra vrges, cui tu ipse omnem fidem derogas? Quòd enim illud Præceptorem tuum virum Clarissimum, tu Proteum, Momum, Aristarchum, Volaterranum, à Musis & Gratijs, à virtute & pietate alienum, & similia plurima dicis. Quem illud talem & tantum Theologum, eum tu hominem agrestem, tetricum, indoctum, Caballum Cumanum, ferulis denique subijciendum, ais. Quòd si tu ipse istud sic eleuandum credidisti, quid nos eidem tribuere posse existimas?

130. Contemptum rationis humanæ, dixerat Cuculus, esse inter principia nostra confutantia, & hoc nomine nos ingratitudinis accusauit, quòd hoc eximium donum Dei vilipendamus, & tragicè exagitemus. Cùm tamen scriptum sit, ne sitis sicut equus & mulus, quibus non est intelligentia. Etsi enim radius diuinæ lucis, lapsu primorum parentum obscuratus sit, tamen gratiæ regenerationis efficacitate, factum Spiritualem. Responsum fuit: Nobis esse eadem principia confirmantia & confutantia, verba scilicet Cœnæ Domini: Rationem autem vtpote cæcam in diuinis, nos, tum Apostoli Pauli, tum Patrum exemplis & autoritate meritò contemnere, quæ etiam in renatis (nisi fortè nec Paulus nec Corinthij, qui Ecclesia Dei dicuntur, renati fuerint) captiuanda sit. Vbi etiam ad testimonium Scripturæ, ineptissimè à Cuculo citatum, responsum est. Quid igitur nunc Cuculus? Quid ni, inquit, te etiam inuito, rationem

tionem rectam radium diuinæ lucis appellem? num tibi à principe tenebrarum in natura humana accensa videtur? Ego verò Deum veritatis authorem esse credo, non Sathanam. Deinde addit: Ratio humana an non cæca est in ijs, quæ sunt fidei & spei, non autem planè cæca in ijs, quæ physica, moralia & polytica sunt. Respondeo. Vides ne pie Lector, vt scopum declinet hic homo? Neque enim quæritur, à Deo ne sit vel à Sathana ille radius? id enim est extra controuersiam. Neque etiam hoc quæritur, quid radius ille in physicis, moralibus & politicis possit? vbi eximium Dei donum libenter agnoscimus & celebramus. In diuinis autem quid possit, de eo controuertitur, vbi nos equos, asinos & mulos esse, hoc est, penitus nihil intelligere, contendimus. Tu verò in mysterijs etiam Sacramentorum, radium hunc prælucere nobis, neque vel equos vel mulos nos esse voluisti. Est tamen hoc commendatione dignum, quòd à Præceptore admonitus, emendare tam crassum errorem, quàm tueri pertinacius, non dubitasti.

131. *De Philosophia, postquam multa garrijsset, responsum fuit: Quæstionem de Cœna Domini non esse Philosophicam, nec ex principijs Philosophicis determinari posse: & quid tum Paulus, tum vetustas de Philosophia monuerint, non esse ignotum. Ego verò, inquit nunc Cuculus, Sardonio risui tuo oppono dictum Augustini: Si qua vera Philosophi dixerunt, ab eis sunt tanquam iniustis possessoribus vendicanda. Respondeo. Sed & nos illud idem tibi opponimus, vindicatum tamen prius à tua calumnia & crimine falsi. Sic. n. ait Augustinus: Philosophi aũt [qui vocantur] si qua [fortè] vera [& fidei nostræ accommoda] dixerunt, ab eis tanquam iniustis possessoribus vendicanda sunt. Vbi Augustinus, non solùm si quæ vera dixerint, sed & fidei nostræ accommoda inquit, quod tu scelerate omittis, in nostrum vsum vendicanda ait. Multa enim vera sunt in Philosophia, & verè dicuntur à Philosophis, sed fidei nostræ non sunt accommoda, vt: Ex nihilo*

Auguſt. lib. 2. de doct. Chriſtiana.

nihil fit: Omne corpus est in loco, & similia. Hæc si fidei nostræ quis accommodare velit, quàm absurdus fuerit? Id cùm tu animaduertisses, elidendum censuisti, ea fide, qua hominem Caluinianum agere, par erat.

De rebus ipsis.

DEbebatur quidem & iure optimo primus locus rebus ipsis, imò hoc primum erat & postremum, neque enim decebat tantum Theologum, qui omnis modestiæ quædam ceu Idæa Platonica videri volebat, vel conuiciari vel calumniari. Verùm quando ipsius eximiæ lenitati & mansuetudini aliter visum est, ordinem eius sequamur.

pag. 39. *Initiò autem præfatur ipsius modestia, tenue esse mendacium, & perlucere ait, si diligenter inspiciatur. Respondeo. Ideo nos mirari, quare à tam putidis mendacijs temperare sibi non potuerit, & monemus eum, vt porrò cogitet, si tenuia mendacia tam citò perluceant, quid futurum sit de tam crassis, quæ etiam in ipsis Ægyptiacis tenebris, si non videri, palpari tamen possint. Antequam autem ad cap. 1. Confutationis illius accedam, ostendendum prius, quæ, vbi, & quomodo dissimulet, atque solo silentio vlciscatur & superet, vt intelligatur, illum multò plura præterijsse, quàm refutare vnquam conatus sit.*

pag. 138. *1. Accusatus erroris & insidiarum, quòd panem & vinum Cœnæ Domini appellet Sacramentum, cùm tantùm sint pars Sacramenti, eaq; minima. Et vetustas Eucharistiam, non vna re terrena, sed duabus rebus, terrena & cœlesti definierit. Tacet.*

pag. 134. 135. 136. Confut. *2. Ore corporis panem tantùm accipi dixerat, corpus autem Christi ore solius animæ. Petitum fuit ab ipso, vt istam distinctionem ex verbis Institutionis ostenderet. Deinde oppositæ fuerunt*

huic

huic eius figmento nouem vetustatis testimonia, quibus ore corporis etiam corpus & sanguinem Domini accipi ostensum est, etsi non corporali seu Physico modo, tria ex Augustino, totidem ex Chrysostomo, Tertulliano verò & Ambrosio & Leone singulis singula. Sed Cuculus præstat sacrum silentium.

3. Nestorianismi non semel, & rationibus, & ipsius Nestorij verbis accusatus est, verùm, statua est, truncoq; similimus Hermæ. pag. 126. 127. 276. 277. 278.

4. Consubstantiationem etiam per calumniam nobis affinxerat, quando velimus corpus Christi cum pane realiter præsens esse. Responsum fuit. Et diuinitatem filij Dei realiter omnibus creaturis & sua essentia præsentem esse, nec tamen cum illis consubstantiari. Sed magis mutus est quàm piscis. pag. 115.

5. Aliquoties odiosissimè exagitarat, voculas, in, cum, sub, quasi hoc pacto à scripto verborum Cœnæ recederemus, eisq; peregrinum & alienum, imò stolidum sensum affingeremus. Respondeo. Esse calumniam, nam iam olim ipsum D. Lutherum sese explicasse, eos, qui his vocibus vtuntur, non velle hæc verba & phrases ipsum textum esse, nec nouum textum comminisci. Et inquit, non amplius his vocabulis vtemur, sed simplicissimè vt textus, dicemus, hoc est corpus meum, modò illi idem agant, & consentiant. Hîc verò altum Cuculi silentium. pag. 116. 117. " Confess. Maior. " de Cœna. " " " " " "

6. Dixerat Cuculus, verum esse vnum & simplex, falsum autem multiplex & sibi non constans. Responsum est, verè ista dici. Cùm itaque interpretatio verborum Cœnæ apud ipsos sit multiplex, & propositæ sint nouem differentes explicationes, vbi alij voculam Hoc, alij Est, alij corpus, alij Meum, alij Quod, & hæc ipsa alij etiam aliter interpretati sint, falsissimam eorum opinionem procul dubio esse, quòd adeò sibi non constet. Sed Apologia hæc muta est. pag. 111. 112.

7. Calum-

Pag. 117. 7. *Calumnia Cuculi de Cardinale Cameracensi, ipsius D. Lutheri verbis esse refutata, vbi vel Bileami asina locuta esset, si res defendi potuisset, sed hîc prorsus tacet.*

Pag. 146. Et seq. 8. *Dixerat Cuculus, tristissimam esse vocem, & veteri Ecclesiæ inauditam, qua etiam Iudas proditor, & omnes impij corpus Christi, etsi ad iudicium, manducare dicantur. Responsum est. 1. ex verbis Institutionis Cœnæ. 2. ex historia Euangelij. 3. ex verbis Apostoli 1. Cor. 11. 4. Et ex testimonijs Antiquitatis, tum Iudam olim, tum hodiè etiam infideles & indignos corpus Christi manducare, sed ad iudicium. Ad verba quidem Apostoli Pauli quædam respondet, de quibus suo loco, sed reliqua quasi citiùs equis transit.*

9. *Dictum Christi, de non dando sanctum canibus, & Pauli*
Pag. 149. *etiam Apostoli, sua interpretatione deprauat: id cùm ostensum esset, ne gry quidem respondit.*

Pag. 152. 10. *Corpus Christi non posse nisi fide accipi, affirmauerat Cuculus, quòd quæ verbo promissionis offerantur, non nisi fide accipiantur. Responsum est. Verum id esse de ijs, quæ solo verbo offerantur, Corpus autem & sanguinem Domini, non solo verbo, sed externis Elementis panis & vini offerri, & ideo offerri, vt manducentur & bibantur. Ergò non sola fide, sed & ore accipienda. Verùm Cuculus Seryphia rana est.*

Pag. 165. Et alibi. 11. *Quòd verbis Cœnæ Domini vim feciſſet, pro (Quod) substituendo (Quatenus) postulatum ab eo fuit, vt eius rei nobis fidem faceret, sed caput est, vt sine cerebro, ita sine lingua.*

Pag. 158. 12. *Sacramentum ad prædicamentum Relationis referendum docuerat Cuculus. Responsum fuit, cùm eorum quæ referuntur ad aliud, tantùm tria sint genera, & verò ad nullum horum referri Sacramentum possit, quomodo ex relatorum numero esse dici debeat? Nullam literam, ne apicem quidem respondet, sed fabulam de Scarabæo Olynthiaco ex Thracia prolixè recitat, quæ ad rem*

nihil

nihil facit, vbi mihi in mentem venit Augusti Imperatoris factum, qui cùm signiferum quendam ex exercitu fugientem vidisset, comprehenso, & ad hostem conuerso, extensa dextera, hi verò sunt, ait, cum quibus dimicandum est.

13. Corrumpere etiam, Cuculum, textum Paulinum 1. Cor. 10. dictum est. Quòd enim Paulus ait, patres eandem escam manducasse, ille (nobiscum) eandem escam comedisse interpretatur. Sed liberatur religioso silentio. Pag. 164. & alibi.

14. Pluribus, & admodum petulanter nobis insultat Cuculus, habere nos pios veteris Ecclesiæ deteriori loco & conditione quàm hodie impios, & dicere, quòd vmbris tantùm vicitarint. De vmbris responsum est verbis sacræ scripturæ, ex Epistolis ad Colos: atq; Heb. quæ ijsdem verbis vtuntur. Iam ergò tacet, quia eiusmodi Alphabetarius est, qui nec vocales nec consonantes, sed solas mutas habeat, & vnum duplicem. Pag. 165. 166. Colos. 2. Heb. 10.

15. Deteriorem autem piorum patrum veteris Testamenti conditionem non fuisse, cùm in ijsdem beneficijs venturi Messiæ, quibus nos hodie exhibiti participarint, dictum est, sed & quodammodo meliorem quàm hodiè impiorum sit: hi enim ad iudicium accipiunt, & corporis & sanguinis Christi rei fiunt, quod de illis hoc quidem modo dici non potuit. Hîc verò Cuculus nullum iota. Pag 67.

16. Dixerat Cuculus, vnius causæ contrarios effectus esse non posse. Responsum est: imò maximè, pro diuersitate rerum subiectarum, id quod etiam in rebus naturalibus quotidiè fieri demonstratum est. Cucule cur taces? Pag. 169.

17. Thesi 11. dixerat nos τῆς οὐσίας corporis Christi participes fieri, 20 autem Thesi, nec corpus nec sanguinem Christi nunc in terris ante extremum diem, nisi mente & cogitatione adesse. Hæc illi contradictio obiecta est, sed vox faucibus hæret. Pag. 170. 171.

18. Quòd aliquo reali contactu cum nostris corporibus caro Christi non coalescat, ideo spiritualem copulationem esse, quæ per fidem

fiat, dixerat. Responsum est, non esse sufficientem enumerationem partium, quia sit tertius modus, scilicet Sacramentalis. Modum
Pag. 167. enim qui per contactum fiat, esse non Sacramentalem, sed naturalem, eum autem qui per fidem fiat, spiritualem esse, non Sacramentalem. Ostendat ergo Cuculus, quis sit modus ille Sacramentalis, de quo nobiscum sæpè loquitur. Sed respondebit ad Græcas Calendas.

Pag. 183. 19. Nos signa pro ipsis rebus habere calumniatus fuerat. Responsum fuit, esse mendacium. Non enim signa pro rebus, sed cum signis res ipsas à Christo promissas exhiberi dicimus. Caluiniani autem ventriculi ista facilè concoquunt.

Pag. 184. 20. Affirmauit impudenter, nos Sacramentorum absolutam quandam necessitatem & vim quandam naturalem comminisci. Responsum est, vtrumque confictum ab ipso esse. Sicut enim Sacramentorum nullam nec necessitatem, nec etiam aliam vim nouimus, nisi quam verbum Dei tribuit, ita & excusamus & consolamur, qui ex necessitate aliqua communicare non possunt. Hîc verò Pytagoricum silentium est.

Pag. 185. 21. Signis mutatis etiam res ipsas mutari, nos docere ait Cuculus. Responsum est, esse mendacium, & absurdissimum. Neq; enim res, id est, corpus & sanguinem Christi fuisse in veteri Testamento, concedimus, quomodo igitur mutatas crederemus in nouo? Vbi autem latitat Cuculus? & quare non respondet?

Pag. 186. 22. Christum & eius beneficia Nouo Testamento nos propria facere dixerat Cuculus. Responsum est: esse apertum mendacium. Etsi enim in veteri Testamento Christum incarnatum non habuerint, tamen varijs typis expressum, & beneficiorum illius non minus per fidem participes factos, quàm nos hodie in Nouo Testamento. Quid Cuculus? Nihil, sed interim conuiciatur. Profectò verè
» dixit Hippocrates, (ait ille) morbum periculosissimum esse, qui habitum oris subinde mutat, & ægrotũ sui dissimillimũ facit. At enim

quantò

quantò periculosior vbiquitas est, quæ vnũ eundemque hominem, concionatorem Ecclesiasticum, Consiliarium Aulicum, Bebenhusianum Monachum, Venatorem, professorem, Volaterranum, Metiochum deniq; facit. Atqui ô Cucule, neq; Hippocratis Aphorismos, neq; Cuculi coccysmos, sed eruditi Theologi modestas responsiones desiderabamus, pro quibus tu conuicia (vt tuis verbis vtar) scelerate inerudita, & mendacia flagitiosissima euomis.

23. Vetus & Nouum Testamentum non substantia, sed dispensatione tantùm differre dixerat. Responsum est, potius substantia, non dispensatione differre. Quomodo enim substantia possint esse eadem, cùm Christus tum nondum substantiam nostræ carnis assumpsisset? & si dispensatione differrent, quomodo Abraham & cæteri pij fide iustificati, omnium futuri mediatoris beneficiorum participes facti fuissent, sicut nos hodie fide in exhibitum saluamur? & quomodo credentibus vtrinque dispensari beneficia Christi, illic venturi, hîc exhibiti, potuerint? Quòd verò Cuculus hîc rursus adeò mutus est, facit vt recorder facti Diogeniani, is enim cùm quendam admodũ imperitè sagittas iacientem vidisset, ad scopum quàm proximè consedit, admonitus vt discederet. Nullum est inquit periculum, video enim hominem à scopo abhorrere. Pag. 188. 189

24. Præstantius esse os fidei quàm corporis. Ergo fide potius quàm ore corporis, Christi corpus & sanguinem accipi dixit Cuculus. Responsum est. 1. Non ratiocinationibus, sed ex præscripto verbi Dei agendum. 2. Ne ora piorum, quæ sanguine Christi mundata sint & sanctificata, sterquilinia faceret. 3. Patrum authoritatem ne contemneret, qui isthæc ori corporis ex institutione Christi tribuerent. 4. Os corporis hoc nomine præstantius, quòd fides cessatura sit, quando os corporis Deum laudabit in omnia secula. Hîc verò Cuculus mutum Hipparchionem repræsentat. Pag. 204.

Ibidem. 25. *Esse communionem omnium Sanctorum totius Catholicæ Ecclesiæ dixerat Cuculus, suggillas nos, quasi Patres veteris Testamenti à communione Sanctorum excluderemus. Responsum est: Etsi in substantia diuersitas quædam sit, tamẽ in beneficijs communionem omnium Sanctorum æqualem fuisse Ecclesiæ omnium temporum, itaq; calumniam eum dicere. Conticuere omnes, tacentes ora tenebant.*

Pag. 205. 26. *Dixerat esse segregationem fidelium & infidelium, quasi nos vbiq; confunderemus omnia. Responsum ergo. Et certè ingens separatio, quia & debito fine frustrantur illi, & rei fiunt corporis & sanguinis Christi, cùm hi confirmentur de gratia Dei, & recreentur in sua conscientia.*

Pag 209. 27. *Dixerat, prædicationes siue locutiones Sacramentales esse, quando nomen rei signatæ, signo tribuatur, vt cùm Ioan. 6. caro Christi viuifica appellatur. Falsum id esse responsum est, ex Caluini etiam testimonio, cuius verba hæc sunt: Ex his verbis (qui manducat) palàm apparet, perperam de Cœna exponi totum hunc locum, & rursus: Si verum esset (quòd hic locus de Cœna intelligendus) quicunque ad sacram Domini mensam se ingerunt, carnis & sanguinis eius fieri participes. i. omnes similiter vitã referrent. Scimus autem multis in exitium cedere: Et certè ineptum fuisset ac intempestiuum de Cœna tunc differere, quam nondum instituerat. Sed prius Clauam Herculi quàm huic responsum extorqueas.*

Caluin. Ioan. 6.

28. *Prædicatione Sacramentali, signo rei signatæ effectum tribui, affirmauerat. Responsum est: Euchariſtiam duabus rebus constare, non vna re tantùm & alterius solo effectu: & ostensum simul est, illum crimen falsi admisisse in verbis Pauli, Ephesiorum quinto, dum omittit (per verbum.) Non enim simpliciter lauacro aquæ (sed per verbum) mundatam Ecclesiam, quod ille malitiosè dissimulat. Et tamen quod miraculi instar est, tacitus hic siue Coruus siue Cuculus pascitur.*

Pag. 210.

29. *Quan-*

29. *Quando effectus signi tribuatur rei signatæ, sacramentalem locutionem esse dixerat, vt cùm caro filij hominis comedi dicitur. Responsum est, id neq; verè, neq; eruditè dici, quòd nemo vnquam adeò fuerit stolidus, vt edere & bibere effectus carnis & sanguinis Christi diceret, cùm eis accidant, effectus autem sit viuificare, consolari, exhilarare. Interea dũ Cuculus respondere non potest, recitat nobis prolixam historiam de legato quodam Pontificio ad Anglo-saxones misso, eiusq; arrogantia. Sed occurrit mihi responsum Diogenis, qui cùm inuitatus esset à quodam Philosopho ad cœnam, atq; hic nescio quæ in Astrolabio nuper confecto illi ostenderet, ille, cui animus erat in patinis, respondit: Bellum instrumentum, sed nos fraudamur cœna? Ita, bella sanè fabula, sed nos fraudamur responso.* Pag. 211.

30. *Carnem Christi dentibus teri non posse dixerat Cuculus, quod tamen Berengariana palinodia (quam Lutherus approbarit) habeat. Responsum est, Calumniam esse, carnem enim Christi, in se, vel per se videri, tangi, aut dentibus teri non posse, sed quòd fiat de pane, qui videtur, tangatur, dentibus etiã teratur, id dici etiam de corpore Christi in hoc mysterio propter vnionem Sacramentalem: quod similitudine declaratum est: Spiritus sanctus videri non potest in sua essentia, quia Spiritus est, nec ascendit nec descendit, tamen Ioannes vidit eum, & vidit descendentem super Christum, quia columbam vidit, cum qua verè erat vnitus Spiritus sanctus.* Pag. 214.

31. *Sensibilia (panem & vinum) sensibus externis: intelligibilia autem (corpus & sanguinem) Christi, menti præberi affirmauerat. Respondeo. Non soli menti, sed corporis instrumentis offerri & accipi, inde enim vetustatem corporis resurrectionem confirmasse. Sed Acanthia Cicada est noster Cuculus.* Pag. 224.

32. *Dixerat ore corporis non edi: Ergo nec corporaliter, & sic nec Capernaiticè. Responsum est, esse detestandam eius malitiam, cùm non ignoret, nos Capernaiticam manducationem non proba-* Pag. 212.

re, sed à contrario argumentari ei visum est, quasi dicat, si non Capernaiticè, ergò nec corporaliter, & sic nec ore corporis: Sed toties responsum est, inter mãducationem naturalem vel crassam illã Capernaiticã, & inter spiritualẽ esse tertiã, quæ Sacramẽtalis est & dicitur. Quare ergò nõ respõdet Cuculus? nisi quia probat illud bonis omnibus improbatum: Calumniare audacter, semper aliquid hæret.

Pag. 222. 33. Verbum Dei, vnũ suæ sentẽtiæ fundamenũ esse dixerat. Responsum est: Eũ à gregalibus & præsertim Tortodoxo Consensu dissidere, cùm ille dicat, oportere aliud quippiam cogitare, & interioribus oculis illa aspicere. Et Sacramenta nõ ex illis verbis, sed verba (cœnæ) potius secũdum peculiarẽ & propriũ loquendi modũ intelligenda. Sed adeò mutus est, atq; si Harpocrates silentiũ ei mandasset.

34. De translatione Bezæ, qui pro his verbis (in sanguine meo)

Pag. 222, 223. substituit, (per sanguinem meum) ostensum est, quàm nihil etiam præsidij ipsorum causæ esse in ea posit, sed deserit Cuculus & Bezam suum & seipsum.

35. Eandem rem Sacramenti esse in typo & Antitypo, in Anti-

Pag. 226. typo esse corpus Christi: Ergo in typo fuisse. Responsum est, si maiorẽ accipiat simpliciter, simpliciter fasam esse, sin distinguat (quod facturus non sit) tum nobiscũ non pugnare: sed & in minore esse ambiguitatem, quæ sit explicanda. Quare autem argumentum tam eruditum & causam suam non prosequitur bella illa Apologia?

36. Quotiescunq; (dixerat Cuculus) verbum Substantiuum

Pag. 223. (est) coniungit disparata, quæ formis specificis differant, tum dicendum prædicationem illam esse figuratam. Responsum est, 1. Vt eius rei fidem faciat & probet. Hanc enim regulam in Philosophia quidem veram esse, in Theologia, si simpliciter accipias, minimè: aliàs quando dicitur, Deus est homo, sequeretur, vt figuratè accipiendum, quasi Deus non sit verus, sed figuratus homo. 2. Et quidem Philosophis condonari id posse, qui prædicationes de filio Dei prorsus ignorarint. Theologum autem tam Christianum, tam eruditum, adeò stolidè delirare, id verò mirandum esse. Tacet.

37. Me-

37. *Metonymia, quam finxerat in verbis Cœnæ, quatuor argumentis oppugnata fuit. 1. Id quod cum pane & vino exhibetur, edere & bibere iubemur, sed nomen corporis & sanguinis non possumus edere aut bibere. Ergò. 2. Christus inquit, Hoc est corpus meum, non ait est Metonymicum & figuratum, aut nomen tantùm corporis. 3. In Eucharistia duæ sunt res, etiam Antiquitatis testimonio, in Metonymia autem vna tantùm res est, & alterius cuiusdam solum nomen. Ergò. 4. Non verisimile est Christum in testamento figura Grammatica ludere voluisse, & de rebus polliceri, cùm tantùm nomen & significationem offerat & exhibeat. Hìc more suo postremũ arripit & exagitat: ad tria præcedẽtia ne quidẽ tantũ, quantũ mutus Zacharias, respõdet, qui & loqui nõ potuisset, scripsisset tamẽ.* pag. 235.

38. *Thesi 7. dixerat, Cœnam Domini esse Sacramentum efficax nostræ cũ Christo cõsociationis, id verò de pane et vino tãtùm non poterat accipi. Iam autem thesi 24. Sacramentũ intelligit tantùm res externas & visibiles, panem & vinum: Dictum itaq; illum ludere homines ambiguitatibus vocabulorum, quod tam erudito Philosopho planè sit indignum. Hìc verò quantum silentium?* pag. 241.

39. *In demonstratione eius (quam sic vocat) decima, negata fuit minor, vbi (quatenus) pro (quod) accepit. Tacet.* pag. 243.

40. *Dixerat ideo infideles non manducare corpus & sanguinẽ Domini, quia hoc pro illis non traditum, hic pro illis non effusus sit. Responsum est, Christum agnum Dei esse, qui tollat peccata mundi, &: Non pro peccatis tantum nostris, sed pro totius mundi etiam peccatis propitiationem esse. Sed nigrum Cygnum videbis citius, quàm ex hoc audias responsum.* Ibid.

41. *Manducationem spiritualem & Sacramentalem perpetuò confundit. Responsum fuit, Eum fallacia æquiuocationis fucum facere imperitioribus, quare non excusat?*

42. *Adduxerat aliquot Patrum Athanasij, Chrysostomi Augustini testimonia, ostensum autem, eS illum partim deprauare, partim* pag. 257. 264.

partim detorquere, quædam enim de spirituali manducatione loquuntur, in quibusdam vox (Sacramentum) largissimè sum ab Augustino, demonstratum est, (vt quando etiam coniugium Sacramentum dicitur) & quod ridiculum est, quando corpus Christi pro Ecclesia sumitur, ille huc refert, quasi aut Ecclesiam vel edere vel bibere possemus, aut illa pro nobis, atq; adeò pro seipsa in mortem esset tradita. Quare autem in hac Comœdia muta persona esse voluit Apologaster?

pag. 262. 43. *Dixerat etiam, rationi regeneratæ fidem non esse derogandam. Responsum fuit. Rationem regeneratam, quatenus regenerata sit, non duci Philosophicis principijs, sed solo verbo Dei: quid enim aliâs differret à ratione non regenerata? Sed non tantus lucis est radius in hoc Cuculo, vt responsum commodum videre possit & eruditum.*

pag. 268. 44. *Corpori Christi dixerat nos antiphysicas proprietates tribuere, quæ ita effusæ sint in Naturam humanã, vt eam destruant. Responsum est, esse Cinglianum mendacium, id tacendo approbat Cuculus, nam mentiri, laudi ducunt.*

pag 285. 45. *Omnipræsentiam Corporis Christi commentitiam, fundamentum nostræ opinionis dixerat. Responsum fuit, quomodo fundamentum esse possit, cùm sit κρινόμενον. An autem commentitia sit, ex Refutatione Tortodoxi Consensus satis constare. Sed Ioui prius fulmen eripias, quàm ab hoc homine responsum accipias.*

pag. 286. 46. *Ex Euthychianismo doctrinam nostram ortum ducere affirmauerat. Responsum est, tum id probaturum de nobis, quando Antiquitatem, Paulum & Christum Dominum, Eutychianismi conuicerit: tacet Pedaneus Senator.*

47. *Quòd dextram Dei certum locum esse, persuasum haberet, ideo & scripserat nos fingere carnem Christi vbique, & sic etiam in*
pag. 286, vsq; 293 *Cœna præsentem esse, quia ad dexteram Dei sedeat. Responsum est: Verba institutionis nobis præsentem Christi carnem polliceri, ideo præsen-*

præsentem credimus. Ad dextram verò Dei quod attinet, non sò-
lùm aliquot scripturæ, sed & Antiquitatis, atq; adeò ipsius Caluini
testimonio ostensum est: perperam eos facere, qui ex sessione ad de-
xtam Dei probare conantur, Christum non nisi in cœlo esse. Hîc
verò vbi est Mauortius Heros?

48. *Modum essendi carnis Christi, vnicum tantùm esse dixe-* pag. 293.
rat, & falsum esse, si quis plures fingat. Responsum est, esse illud
Pharisaicum supercilium, quòd prius damnet, quàm conuincat fal-
sitatis. Quemadmodum enim corporis animati alia, alia inanima-
ti sit definitio, & sic alius etiam essendi modus, cùm tamen vtrumq;
verum corpus sit, ita respectu vnionis personalis alia est ratio cor-
poris Christi, quàm nostrorum, siue physicorum siue glorificatorum.
Sed tum respondebit Cuculus, cum Nibas coccysauerit.

49. *Lutheri αὐτὸς ἐφα fundamentum nostræ doctrinæ esse di-* pag. 296.
xerat. Responsum est, hypocritam esse, & flagitiosè mentiri,
quemadmodum enim ipse Lutherus nullius hominis authoritatem
secutus, verbo Dei Antichristum & Caluinisticum fermentum con-
futauit, ita nos, nec illius, nec cuiusquam authoritate magis quàm
verbi diuini nitimur, sed aquam ex pumice citius, quàm ex hoc re-
sponsum expresseris.

50. *Duplicem Lutherum nobis fingit, homo duplici corde &* pag. 296. 297. 298.
lingua. Cùm enim humani quid passus esset, inquit, multò rectiùs
de Cœnæ Mysterio extra contentionis calorem pronunciauit, quàm
in illius æstu & paroxismo. Responsum est, esse monstrosam ca-
lumniam, & oppositum D. Lutheri testimonium ex maiori ipsius
Confessione adeò perspicuum, vt contra illud Cuculus ne hiscere qui- pag. 299. 300.
dem ausit: sed silentio calumniam fateatur.

51. *Vanitatis etiam et insignis impudentiæ accusatus fuit, quòd* Pag. 300.
D. Lutherum ita exagitârit calumniosè, qui interim gloriaretur
se non temerè in aliorum scripta virgulam censoriam sumpturum:
tacet, tanta enim rei est perspicuitas, vt tergiuersari non possit.

pag 301. 52. *Collegisse quidem in speciem pugnantia ex D. Lutheri scriptis Caluinistas Araneos, Staphylum secutos, non dissimulauimus: sed quomodo partim in alienũ sensum detorta, partim per calumniam deprauata sint, cum in Apol. Form. Concordiæ, & Refut. Consensus Tortodoxi ostensum ipsis abundè sit, quare hactenus tacent?*

pag. 302. 53. *De Concordia cum Helueticis Ecclesijs, cùm quædam ineptè effutiuisset, responsum est, vt vnicam syllabam ostenderet, quæ huius Concordiæ confirmatæ fidem faceret: econtra demonstratum est, Bucerum scripsisse, Tigurinos ad concordiam malè dispositos, Iam cùm respõdendũ esset, subduxit sese Cuculus, nec vsquã apparet.*

pag. 309. 54. *Vsum vnius tantùm speciei in Cœna Domini, Lutherum inter adiophora reposuisse, nugatus fuerat. Responsum est, Calumniam esse, quod ex Epistola ad Melanthonem anno 30. Augustam scripta, appareat perspicuè. Sed lanam expectas ab asino.*

pag. 310. 55. *Adiaphoron esse, eleuationem Sacramenti, quòd nec mandata, nec prohibita, sed ceremonia libera esset, dictũ est, in eo si quid desiderabat, cùm inter absurda numeraret, quare iã latebras quærit?*

pag. 310. 311. 56. *Tribuit etiam Luthero ῥημάτων θάυματα, quæ nemo, nisi qui se naso duci ferat, recipere posit. Responsum est, si de ijs loquatur, quæ primis annis contra Antichristum Romanum scripsit, vbi interdum quædam dedit, quæ postea ex Verbo Dei falsa esse didicit,*

Præfat. Tom. 1. suor. oper. *nihil opus fuisse ipsius virgula censoria, cùm ipse D. Lutherus, illa & agnouerit & veniam precatus sit, cùm inter cætera inquit: Oro lectorẽ, vt ista legat cum iudicio & commiseratione multa, & sciat me fuisse Monachum & Papistam insanissimum: quòd si de reliquis etiam, quæ magno spiritu & iudicio contra fanaticos (gregales eius) scripsit, intelligat, esse commentũ vanissimum. Lapis est.*

pag. 312. 313. 57. *Obiectum illis fuit, dum exteris, inprimis Pontificijs, Lutheri scripta ita commendent, à quo spiritu agitentur, vt ipsi secum cogitent, cùm vel ipsi Pontificij spiritũ Lutheri tantoperè commendarint. Sed responsum accipies, quando locusta bouem pepererit.*

Quæ

Quæ hactenus recensui, ex 13. tantùm posterioribus eius thesibus desumpta sunt, & ita vix dimidiam disputationis eius partem percurri: quid futurum fuisse censes candide Lector, si per negocia & reliquam partem examinare alicui licuisset? sed & tibi & tempori parcendum fuit.

Memini autem hoc loco illud quod Hieronymus ait: Qui arguitur in pluribus, & in diluitione criminum aliqua prætermittit, quicquid tacuerit, confitetur. Quod si verum est, quid superest, nisi vt Cuculum ipsa vanitate vaniorem esse dicamus? Hieronymus ad Pammach.

De Basi doctrinæ.

CAP. I.

AFfirmauerat Cuculus sententiæ suæ de cœna Domini, Basin adamantinam esse verba institutionis, id verò adeò trepidè, vt illa ne recitare quidem auderet, sunt enim sudes in oculis, sed verba Apostoli ex 10. cap. prioris ad Corinthios substituerat, quibus Apostolum verbis Institutionis numero complexum Arithmeticè dixerat. Huic commento D. Iacobus tale argumentum, si in forma quis habere velit, opposuit: Quicunque docet panem Cœnæ Domini significare corpus Christi, is non nititur verbis institutionis tanquam basi: Hoc faciunt Caluinistæ. Ergo. Præfat. Disputat. suæ A. 2. fa. 1. Confut. pag. 36.

Maiorem probauit, quia aliud est, esse rei, aliud verò, nomen & significatio eius. Cùm autem Christus dicat, panem esse corpus suum, recedere à verbis eos, qui significationem tantùm & nomen corporis Christi, pani tribuant.

Id similitudine ex media rerum natura petita declarauit: Si cui deberẽ florenos centum, ille sibi sine peccunia per significationem aliquã satisfieri nõ pateretur. Quid noster Cuculus? Cùm intelligeret sibi forti Coccysmo opus fore, si isthæc euertere vellet, dolo vtitur, proponit argumentum ipse, quale nos ne somniauimus quidem, Pag. 37.

Apolog. 40. 41. *non meliore fide, quàm forma. Et mox gratulatur sibi ipsi: Et quàm*
» *Athleticè inquit, petit in Maiore principium hic Præpositus? etiam*
» *am eius industriæ causa alijs multis præponendus, nisi fortè exci-*
» *pias altum aliquem, qui si prior inter Conuentuales sit, Præposito,*
» *ius suum tuebitur. Et rursus: In Minore? inquit, quid tandem sa-*
crum aut sanum est? & de similitudine, (quasi in vim probationis
adducta esset,) exclamat: simile Vulcanianum esse, claudicare in
vtrumq; latus, cui ne ipsa quidem Sorbona satisfacere possit, & si-
milia. Verùm ô Cucule, nos istam argumenti formam nequaquam
agnoscimus, sed à quodam, in quo nihil neq; sacrum neq; sanum sit,
confictum dicimus, vt similes haberent labra lactucas. Si Vul-
canianum est, tu Vulcanus es, qui iamdudum in vtrumq; latus
claudicas. Ita apparet te neque Pancraticè, neq; Athleticè, neque
etiam Herculeè, nisi morbum, morbum, inquam, animi spectes, pu-
gnare, sed sophisticè & penè perfidè. Quòd si sacri tui silentij ratio-
nes ferre possunt, âge, ad rem iam & nostrum argumentum respon-
de, dabimus operam, ne quid iure posis desiderare. Iam autem quæ
reliqua sunt hoc capite, & ad nostrum argumentum oppugnandum
faciunt, examinemus, cætera vbi suum ipse figmentum exagitat, ei
relinquamus.

» *Primò omniũ respondet per conuicia. Vt liberè dicam, ait, quod*
» *res est, bis me iam fefellit mea expectatio. In publico Disputatio-*
» *num congressu, iussus, iuuenibus omissis, Doctores aliquot Theolo-*
» *gos amãter hortatus sum, vt eruditè argumentarentur & placidè,*
» *sed hos deteriora minusq; speciosa, quàm quæ ab ipsorum discipulis*
» *adducta erant, adduxisse, postea comperi. Erant ingeniosis homini-*
» *bus quorundam argumẽta meritò ludus iocusque. Sed vt video, hæc*
» *Iacobi Andreæ nihilo sunt meliora & speciosiora. Habes (inquit Cu-*
» *culus) ingeniosa iuuentus lepidũ exemplũ Prouerbij: posterioribus*
» *melioribus. Scilicet isti homines nõ iniuria negant, aliorum curas po*
» *steriores meliores esse, quando ipsorum curæ (curas volui dicere) po-*
» *steriores, stultiores esse res ipsa loquitur. Hactenus prima responsio.*

Sed

Sed quia nobis hæc forma dissoluendi argumenta planè noua est, tanquam Medusæ capitis conspectu exterriti, refugimus, hoc solùm addentes, conuiciando non soluuntur argumenta. Secundò vtitur Cuculus Instantia: Nam & tu, inquit, permutas verba Cœnæ: Hoc est corpus meum: in alia, in, cum, sub hoc pane est corpus meum: Et addit: si æquipollentes has propositiones esse opinaris, quid superest, nisi vt dicas, has etiam esse æquipollentes, Petra erat Christus, & in, cum, sub Petra erat Christus?

Etsi autem ipso etiam Cuculo probè constet, quanti momenti sit per Instantiam data solutio, tamen respondere illi non grauabimur. Et quidem quantus sit in hoc homine conscientiæ stimulus elucet. Etsi enim hoc agit totis viribus, vt ostendat nos à scripto verborum Cœnæ recedere, dum explicationis gratia his particulis, in, cum, vel sub, vtimur, victus tamen propriæ conscientiæ testimonio, nos pro æquipollentibus illas propositiones habere & vsurpare, non audet negare, scilicet, panis est corpus Christi, in pane, cum, sub pane est corpus Christi. Quod si agnoscit, quid toties in sequentibus calumniatur, cùm etiam conscientiæ testimonio superatus, calumnias esse, non dissimulet?

Hîc verò nodum in scirpo inuenit. Nã quid supereſt ait, nisi vt " *etiam has æquipollentes esse dicatis: Petra erat Christus, et in, cum,* " Pag. 42.
sub Petra erat Christus? Respondeo. Nihil planè supereſt, sed plurimum deest, illud nimirum, quòd tunc quidem corpus Christi in rerum natura non esset. Si itaque dicamus: Corpus Christi antequam fuit, in Petra, vel sub Petra fuit, non minus inepti fuerimus, quàm nuper Disputator quidam acutus, cuius cùm oppidò in angustum coactæ essent copiæ, concessit stolidè: Non entis esse accidentia, quam ob causam ab erudita iuuentute, qnòd meritò ludus iocusq; esset, talis responsio, pedum strepitu explosus fuit.

Tertiò perinde loqueris ait Cuculus, ac si duo ista verba: Est, & "
significat, absolutè dicamus nunquam & nequaquam differre, cùm " Pag. 42.

» tamen nos aliquando id fieri, cum Augustino dicamus. Respondeo. Tempestiuè admonuit Cuculus, quasi qui confecto bello machinas aduehit: Etenim si semper accipienda essent indifferenter, tũ sequeretur, quòd, quando dicitur, Cuculus est Doctor, idem esset ac si dicamus, habet nomen tantùm Doctoris, sed doctrinâ solida amplius distat ab ipso, quàm altissimum cœlum è terra. Aut si dicamus, Cuculus est Disputator, periculum fuerit, ne figuratus & Metonymicus aut significatiuus Disputator videatur, vbi lapis sedeat super lapidem, quod esset hæresis. Rursus verò peccat in seipsum grauissimè, nã, si accipiendas esse has voces indifferenter, concederet, tum si dicitur, Cuculus ingratus est & superbus, commoda interpretatione leniri poterat, est accipiendũ, pro significat, vt habeat tantùm nomen & significationẽ ingrati & ambitiosi Cuculi: iam verò cùm sinistra dextrã sibi præciderit, quid superest, nisi vt dicamus, ingratũ & prætumida arrogantia turgentem Cuculum esse eum & manere?

4. Hîc verò actum de nobis, perijmus ô viri, nostro enim, hoc est D. Lutheri gladio conuicti & confecti cadimus. Lutheri (ait » Cuculus) p. m. dictum, quod in Hom. de Sacramento & fraternita- » te extat, tibi ruminandum ideo proponam, ne posthac verbum signi- » fico, Hechingensi Latino odioq; tibi insectandum esse putes. Sed benè habet, quos calumnia in Lutherum penè prostrauerat, ij. Luthero dextram porrigente, resurgunt. Audi enim Cucule, si seriò ad istam Homeliam prouocas, aut subscribes ei nobiscum, aut renues: si assentiris, composita iam erit infœlix controuersia, sic enim ibi Lutherus: » Non nuda hæc & inania signa instituit, sed veram & naturalem » suam carnem in pane, & verum & naturalem suum sanguinem in vino dedit, vt omnino plenum Sacramentum seu signum exhiberet. Annè tu Cucule his subscribis? si verò tergiuersaris, alta voce calumniatorem te dicimus.

Tom. Germ. Ien. 1. Pag. 205.

» 5. Iam verò etiam contra nos argumentatur Cuculus: Si panis » est corpus Christi inquit, aut secundum esse Essentiale, aut Sacramentale, corpus Christi erit, verùm nec hoc nec illo modo. Ergò. Minorem

norem probat. Cuculus, si, inquit, secundum esse essentiale, estis pontificij, si secundum Sacramentale, quid nobiscum pugnatis? Argumentum eruditum & bifurcatum, vtroq; cornu feriens. Quid verò dicemus, aut vnde exordiemur? Ne Hercules quidem aduersus duos. Quid si suo iugulemus eum gladio? Age itaq; ô Cucule, tibi oppono ponopliam illam tuam, & planè idem argumentum repetendo. Minorem ita probo: Non essentialiter vobis panis est corpus Christi, ne sitis Pontificij, nec Sacramentaliter est, quia vbi verbum accedit ad Elementum, fit Sacramentum: vos autem vbi fides accedit ad Elementum, fit. Sacramentum dicitis, nam sine fide accedentes, præter panem & vinum nihil accipiunt, si vobis credamus. Quomodo ergò panis est corpus Christi?

De verbis Apostoli. 1. Cor. 10.

BAsin Sententiæ Cinglianæ verba Apostoli esse posse negauit D. Iacobus, primò quòd Apostolus dicat panem esse communicationẽ corporis Christi, illi verò significationẽ corporis Christi. Deinde quòd à scripto verborũ Cœnæ cõfugiant ad interpretationẽ seu sententiã. Et tertiò addidit D. Iacobus, nos qui scriptum in verbis Cœnæ, etiã ipso teste, retineamus, cui nec addamus quicquam nec detrahamus, doctrinæ nostræ fundamenta illa esse, verè gloriari posse. Confut. pag. 37.

Hîc Cuculus suo more format syllogismũ, in cuius & maiore & minore propositiõe plurima desiderat: sed satisfaciat ipse sibi, qui peccauit ipse sibi, nos ea quibus nostra oppugnare conatus est, videamus. Pag. 43.

Ad primum respondet: Repetit D. Iacobus coccysmum de verbis, est, & significat, eorumq; differentia, & addit: Dicat aũt nobis, nihil ne interfit inter has propositiones: Iesus est filius Dauid, &: Iesus est agnus Dei, vitis, petra, &c. si inquã verbi substãtiũ vim & vsum spectes. Respondeo. Nihil planè, sed inter has voces, Filius & agnus, siue vitis aut petra, plurimũ. In his. n. prædicatio est figurata, in illa aũt neq; propria, nec figurata, sed inusitata & sacramentalis. pag. 44.

Ad secundum tacet, ad tertium verò respondet, ex hypothesi illud

illud datum, quod scilicet scriptum verborum Cœnæ retineamus,
Thes. 26. sed videantur verba eius in proœmio Disputationis, A. 2. fa. 2. & deprehendetur Cuculi vanitas, imò inter principia nostra confirmantia ipsemet retulit, ô stolidum Cuculum. Quòd autem ait nos verbis Cœnæ addere quædam, quando dicamus, IN pane esse corpus,
Pag. 44. 45. & naturale Christi corpus (quasi assumpserit Christus aliud quàm naturale) oraliter & sensualiter, comedi & dentibus atteri. Respondeo. Calumnias illas non agnoscimus, partim quòd Cuculus suprà fassus est, nos has propositiones tanquam æquipollentes indifferenter vsurpare, partim verò, quòd non eo sensu, quo ille accipit, à nobis dicuntur.

Quòd verò Cuculus argumentatur, litigare nos more Magorum de verbis, non de eorum sententia. Respondeo. Si nescit Cuculus discrimen inter scriptum & sententiam, seu vt Cicero loquitur, inter scriptum & voluntatem, ad triuiales redeat, & sua amplius confirmet studia: si non ignorat, quomodo se à Calumnia tuebitur?

Quid Cuculi reuera de Verbis Institutionis sentiant.

VIdet Cuculus, sua suorumq; de longissimè in remotissimo aliquo cœli loco, absente corpore Christi somnia sine verbo Dei, eâdem à pijs facilitate contemni, qua ab illis dicuntur, ideo Basin & fundamentum suæ sententiæ nunc volunt esse verba Institutionis. Sed longius id quod dicunt, abest à veritate, quàm ex ipsorum etiam opinione corpus Christi à pane Eucharistiæ, hoc est, altissimum
Martyr. & supremum cœlum à terra. Etenim si verè hoc dicunt, quare alibi non verborum (Christi) struem, sed consilium spectandum dicunt? Quare verba Institutionis nostram Helenam vocant? Quare ea nobis Aiacis clypeum esse obijciunt? quare falsè nos quidam eorum ridet, quòd frustra pugnemus pro pauculis verbis? Quare alius

coram

coram Senatorio ordine dicere non erubuit: Vos nihil habetis quàm tria vel quatuor nullius momenti aut ponderis verba: Hoc eſt corpus meum? Quare quidam veſtrûm ſcripſit: Lucam in verbis Cœnæ Solœciſmum commiſiſſe, niſi fortè per errorem quædam in textum irrepſerint? Quare ſcripſiſtis: Siniſtro tantùm oculo in verba Sacræ Cœnæ, dextro autem ad naturam, & quid illa ferre poſſit, reſpiciendum? Quare ſcripſiſtis: Non oportere ſimpliciter intueri verba Chriſti? hoc enim eſt carnaliter intelligere, ſed oportet aliud quippiam cogitare. Item: Sacramenta non ex ipſis verbis, ſed verba ſecundum Sacramentorum naturam, & peculiarem & proprium de his loquendi morem intelligi debere. Item: Illud huic conſequens eſſe conſtat: Qui verbis Cœnæ in probanda illa reali coëxiſtentia corporis cum pane, non minore inſcitia quàm proteruia abutuntur, planè fruſtrà verborum autoritate niti, indeq; hoc probare conari, quod ex ipſis verbis in quæſtione ſiue controuerſia eſt, magisq; in interpretatione, & quatenus hæc vt analoga fidei admittenda ſit, conſiſtit. Item: Non debent verba Cœnæ de modo præſentiæ & communicatione corporis Chriſti intelligi, quæ ad verum & vltimum eius finem non eſt neceſſaria nec vtilis. Quare ſcripſiſtis: Aliam fuiſſe Euangeliſtarum & Apoſtolorum ſententiam (quàm verba habeant) quòd non tam fuerint curioſi, vt iiſdem literis, ſyllabis, vel etiam vocabulis inſiſtendum ſibi putauerint, quod omninò facturi erant, ſi nudam literam vrgendam cenſuiſſent? Quare ſcripſiſtis: Ex verbis Cœnæ nihil poſſe probari, neque loco baſis aut fundamenti haberi poſſe, cùm ſint in controuerſia? Inprimis autem illud: Verba Chriſti nequaquam ſunt accipienda eo ſenſu, quem verba gignunt. Et ſexcenta alia non diſſimilia, quorum cùm quædam tibi obiecta fuerint, tu tamen religioſo ſilentio vſus, illa præteriiſti.

Dan. Bren.

Beza.

Victorinus.

Conſen. Tolet.

doxus.

Bullingerus.

De omnipotentia, veritate, omnipræsentia & adoratione Christi.

CAPVT II.

In procem. disput. A. 2. fa. 2. DIxerat Cuculus de omnipotentia, veritate, omnipræsentia & adoratione Christi non quæri, de his enim dubitare, esse nefarium. Responsum ei fuit, hæc omnia maximè in controuersia

Confut. 38. esse, nam de omnipotentia scripsisse illos: Nulla, ne diuina quidem vi fieri posse, vt verum & naturale corpus, simul & semel sit in pluribus locis: Imò Christum non posse plura promittere, quàm queat præstare, id autem cùm præstare non posit, vt verum humanum corpus simul sit in pluribus locis, nec promisisse.

Apolog. pag. 45. „ Iam respondet Cuculus, primò per conuicia. Hoc loco (ait) ar-
„ gumentatur D. Iacobus Andreæ contra præceptum Dei, non dices
falsum testimonium. Respondeo. Quomodo falsum, cùm negare
non audeas? nam quod mitigare conaris Cucule, tamen vel inuitus
Martyris verba agnoscere cogeris, tu itaq; falsum dixisti contra

Pag. 46. „ Præceptorem tuum testimonium. Deinde ait, sicut dictum Pauli:
„ Deus mentiri nescius est, & similia, non derogant omnipotentiæ
„ Dei, ita nec illa piorum hominum dicta, de corporatis creaturis,
„ quæ initio spacioq; circumscriptæ sunt, si creationis ordinem spectes,
„ derogant aliquid. Vult enim Deus tales esse creaturas illas, itaque
„ potentiâ sua non efficit, vt aliæ sint, quàm ei visum est eas creare.
Respondeo. Quis dixit ô Cucule, Deum corpus Christi aliud quiddam efficere sua potentiâ, quàm initiò creatum sit? si tu quos tales nosti, eos vt impugnes, nemo prohibet. Nos corpus Christi, creaturam initio spatioq; circumscriptam, qualem creare Deo aut Christo assumere visum est, credimus, nec ipsum aliud ratione substantiæ effectum, sed proprietatibus supernaturalibus, vnionis personalis beneficio, per communicationem exornatum, credimus

atq;

atq; docemus. Quòd si de proprietatibus illis tu loqueris, quare sumis de quo controuersia est, id enim quæritur, quod tu tanquam confessum accipis. Et quid dicis Cucule? Ferrum à Deo creatum est vt sit graue, & in aqua mergatur, ignis, vt sit calidus, vrat & consumat. Si itaq; regula illa tua aurea locum haberet, Deus potentia sua non efficit, vt hæ creaturæ aliæ sint, quàm initiò ei visum est eas creare, quomodo verum fuerit, ferrum natasse, & ignem non potuisse Danielis socios adurere. Num verò tibi & tuis Corymbis potius, quàm sacræ Scripturæ fidem adhibendam censes?

Eadem est & alterius argumenti ratio: Non de facultate inquit Cuculus, sed de voluntate quæritur: Respondeo, id tu dicis, sed quare non ad rem & argumentum respondes? Nam ex loco facultatis contra testatoris voluntatem ille argumentatus est, Christum ideò non promisisse corporis & sanguinis sui præsentiam, quia non plus velit quàm præstare possit: itaq; de facultate est quæstio. Et sic omnipotentia Christi vocatur à vobis in dubium, id quod ostendendum nobis erat.

De veritate Christi.

HOc verò argumentum, vt nihil dissimulemus, rectè assumit Cuculus: Qui negat Christum omnipotentem, negat etiam veracem. Hoc faciunt Caluinistæ. Ergo. Apolog. pag. 47.

Ad istud argumentum befariam respondet, 1. inficiando, 2. conuitiando. De priori inquit, Lætamur quòd Christum cordium inspectorem habemus, eiusq; spiritus vnctione edocti, credimus eum ipsam etiam veritatem esse & sapientiam, & non dubitamus conscientiam tuam appellare testem Diabolici tui mendacij, quod in Minore inculcas. De posteriori aũt ait, an non horrẽda tua audacia est, quòd tibi vni & eidem, & veram sententiam nostris derogare, & falsissimam affingere non est religio? Sed bene habet, quòd licet homicidarũ exemplo, qui nulla humana iudicia verentur, prætumida animatus fiducia, mẽdacio aspergis Martyrẽ & alios, tamen

» vicinus es tribunali Dei, iusti iudicis, paulò pòst peccatũ tuum ex-
» pergiscet, interea eo nomine coram tota Ecclesia abominandus es,
» quòd tua sibi ipsis mendacia mentiuntur, & faciunt vt nemo qui te
» nouit, fidẽ tibi habeat. Hæc Cuculus. Solutiones doctæ, eruditæ, pla-
cidæ, modestæ & spiritus mansuetudine plenissimæ. Sed ad rem.

Ad prius, quòd Omnipotentiam Christo vos derogare negatis, respondemus: Et verba vestra expressa, & res ipsa id loquuntur, ideoq; vobis repetimus Augustini illud: Conati sunt quidam (ait
Augusti. de fid & Symb. cap. 2. „ ille) persuadere Deum non esse Omnipotentem, non quia hoc dicere ausi sint, sed in suis traditionibus hoc sentire & credere conuincuntur. Ad posterius autem, hoc est, ad conuicia illa atrocissima, istud
Hieronymus de ieiuand. virgin. „ Hieronymi respondeo, Malorum solatium est bonos carpere, dum
„ putant peccantium multitudine suam culpam minui. Gloriaris tu quidem de vnctione spiritus, num tu ab illo, conuiciari Præceptori, edoctus es? Ista Sathanæ vnguentum sunt, Augustino teste, qui
August. de sa. doc. cap. 26. „ dicit, Detractor Diabolum in lingua portat. Abominabilem facis Præceptorem toti Ecclesiæ, sed te ipsum execrabilem Deo, si credis
Ibid. cap. 22. Augustino, qui ait: Virum iracundum, inuidum, superbum, & detractorem, omnibus modis execratur Deus. Cum homicidis Præceptorem (hæc Cuculi horrenda audacia est) comparas, sed tu
Serm. 45. ad fra. in Eremo. tui ipsius homicida factus es, hoc ipso Augustino affirmante: Grande vitium est detractio, meipsum occido, si alijs detraho, & quod alios mones, tu non obliuiscere, vicinum scilicet te quoq; esse tribu-
De sal. doc. cap. 26. nali Dei, itaq; à conuicijs ita tibi temperes, ne paulò pòst (vt Augustini verbis vtar) propter detractiones Diaboli fias esca.

De Omnipræsentia Christi.

CVculus, qui vbiquitatem figmentũ dixerat, scripsit simul, de omnipræsentia Christi dubitare esse nefariũ. Ista & pugnare inter se, & Cuculũ dolosè sophisticari vt ostẽderemus, diximus, si verè fa-

rè fateantur, & candido pectore, Christū omnipræsentē esse, cùm sola diuinitas non possit dici Christus, sed illa persona, quæ diuinitate assumente, & humanitate assumpta constat, consequi, humanitatem assumptam cum diuinitate vbiq; præsentem esse personaliter, nisi dicere malit, solam diuinitatem sine assumpta humana natura, Christum esse atq; dici.

Ad id cùm respondendum ei esset, assumit argumentum tali forma, vt conqueratur esse fallaciam à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, & Iacobum Andreæ insidiosa determinatione Maioris vti, ne deprehendi vitium possit, sicut inhonestæ mulierculæ cerussa stibioq; faciem pingant. Et format deinde aliud quoq; argumentum, & addit: sic formasset suum argumentum Smidelinus, si bona fide agere voluisset. Respondeo. Si bona fide non est actum, in te fides desideratur, tuum enim argumentum est, in hac quidem forma: si insidias habet maior, tua est, ergo tibi ipsi insidiatus es, tua est cerussa, tuum est stibium, & vt videas nos meliori fide tecum, quàm tu nobiscum, vel etiam tecum ipse agas, ecce, argumentum illud posterius, in cuius forma nullum esse vitium dicis, nostrum esto: istud, si potes euerte, nam Augustini dictum, in Consensus Tortodoxi Refutatione explicatum iamdudum est, quò te remittimus. pag. 48. pag. 49. pag. 50

De adoratione Christi.

MOre suo sophisticatur Cuculus, & argumentum sibi ipsi tale fingit, & nobis deinde tribuit, in quo & Maior, vt ait, habeat petitionem principij, & conclusio plura quàm præmissæ ferant, quibus deinde addit: Talibus strophis & mendacijs Iacobus Andreæ pugnat. Etsi autem nunc ita pijs insultet, tamen paulò pòst triste spectaculum erit iusti iudicij diuini. Respondeo. Si strophæ sunt & mendacia, tuæ sunt strophæ, & tua mendacia, nos enim argumentum istud nostrum nequaquam agnoscimus, & quod de alijs dicis, tibi dictum puta, vanitatem tuam sic prodis. Nostrum autem argu- Pag. 50. 51.

mentum tale est. Idem est & proprium obiectum inuocationis, quod fidei, Rom. 10. Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt. Sed obiectum proprium fidei est Christus, secundum vtramq; natu-
De ver. & fals. relig. *ram, (nisi probes illud Cinglij: Secundum carnem tantùm mactari potuit, (Christus) & secundum diuinitatem TANTVM salutaris est. Et Christus ea parte nobis salutaris est, qua de cœlo descendit, NON, qua ex illibatissima quidē virgine natus est, tametsi secundum eam pati ac mori oportuerit.) Ergò & inuocationis obiectum proprium erit Christus, secundum vtramq; naturam. Hîc Cucule omnes ingenij neruos intende, hîc vulpinam demonstra, & sophistam te esse nobis proba.*

De statu controuersiæ.

CAP. III.

NOn magni momenti sunt, de quibus hîc controuertitur: & habuisset Cuculus plurima longè grauiora, vtilia etiam magis & necessaria: sed voluit nobis, qui esset, demonstrare, ex eorum scilicet ordine, qui culicem excolant, & camelum deglutiunt. Res autem sic habet. Scripserant gregales eius, nos tantùm de autoritate Lutheri pugnare, & magis pro eius interpretatione, quàm pro ipso scripto verborum Cœnæ laborare. Cùm autem Cuculus non inuitus hoc nobis dedisset, quòd de scripto verborum Cœnæ, controuersia nobis cum ipsis sit, dix mus non benè ei cùm Cadmæis fratribus conuenire, respondet ille primò per conuicia, Præceptorem etiam iuuenibus redarguendum esse, qui cum in honore non perstiterit, iam iumentis sit factus similis, quæ non intelligant.

Ad Demet. *Tu verè, mi Cucule, illud Hieronymi potius perpende: Nunquam detractio ex ore tuo procedat, viliū est satis hominum, laudem suam quærentium, & alios viles facere, quia alterius vituperatione laudari se putant.*

Deinde quòd dextra dedit Cuculus, sinistra rursus eripit, & ex hypo-

hypothesi à se illud dictum ait, quòd scriptum verborum Cœnæ retineamus, & ita ad priores confugit latebras. Sed & responsum suprà est, videat Lector, an conditionalis illa confessio fuerit, & deprehendet, istud iumentum nec in honore, nec in suis verbis perstare, nam id inter principia nostra confirmantia (26 Thesi) retulit. Quod cùm animaduertisset ipse, tertium etiam responsum adiungit. Perinde loquitur Iacobus Andreæ (inquit Cuculus, ac si dicat: De Iustificatione contendentes cum Pontificijs, agnoscunt quæstionem in eo verti cardine, ipsorum ne (qui fide non operibus legis hominem iustificari contendunt, & quid excluſuæ particulæ (Sola) sit tribuendum, quid non, collatis sententijs conferunt) an verò horum doctrina S. Scripturis magis sit consentanea. Illi igitur, qui Pontificijs de iustificatione contradicunt, sunt inter sese de eodem capite discordes. Sic ille. Sed quæso ego te optime mi Lector, quid dicit aut quid respondet: an non reuera iumentis similis factus est, qui etiam seipsum non intelligit?

Quòd verò blaterones nos vocat, & quòd scripturam stolidè intelligamus, stolidè ad commentum nostrum de corpore Christi in pane latitante, & in os etiam infidelis ingrediente, detorqueamus, quando his conuicijs non tam nos, quàm pia vetustas petulanter impetitur, facilè ea ferimus, eius rei aliquot testimonia subijciam.

Nos mediatorem Dei & hominum Iesum, Christum carnem suam manducandam, bibendumq; sanguinem dantem, fideli corde ET ORE suscipimus. Audis Cucule: carnem & sanguinem Iesu Christi OR E suscipimus. Augustin. contra aduers. leg. lib. 2. cap 9.

Placuit S. sancto, vt in honorem tanti Sacramenti INOS hominis Christiani prius DOMINICVM CORPVS intraret, quàm exteri cibi. Audis Cucule, corpus Dominicum intrat in os. Idem. Epist. 118.

Hoc OR E sumitur, quod fide creditur, attende Cucule, sumitur, & OR E sumitur quod creditur, panis autem præsens non creditur, sed videtur, tangitur, verùm, Christi corpus & sanguis præsentia creduntur & ore sumuntur. Idem serm. 6. de Ieiunio.

CARO

Tertull. de resurr. Carnis. *CARO corpore & sanguine Christi vescitur. Heus tu surdaster, caro inquit ille, non sola fides, illa inquam caro vescitur, non solo pane aut vino, sed corpore & sanguine Christi.*

Ambros. ad Theodos. Imperat. *Quomodo eiusmodi MANIBVS suscipies SANCTVM DOMINI CORPVS? qua temeritate ORE TVO poculum pretiosi sanguinis percipies? Audis ne miser, sanctum Domini corpus, & pretiosus sanguis, non panis solùm aut vinum, manibus & ore nostro percipiuntur.*

Eadem ratio est manducationis indignorum, de qua illi sic scriptum reliquêre.

Gregor. Dialog. 4. *Est quidem in peccatoribus & indignè sumentibus VERA CHRISTI CARO, ET VERVS CHRISTI SANGVIS, sed essentiâ, non salubri efficientia.*

Bernhard. de Cœn. Dom. *Comestio Sacramentalis, quantum ad visibilem speciem, & quantum ad corporis Christi veritatem, conuenit bonis & malis communiter.*

Augustin. Epistola 162. *Tolerat ipse Dominus Iudam, Diabolum, furem & venditorem suum. Sinit accipere inter innocentes discipulos suos, quod fideles nouerunt, pretium nostrum. Quid tibi videtur Cucule? vera Christi caro, verus Christi sanguis sua essentia: non solùm visibiles species (panis & vinum) sed corporis Christi veritas, atq; adeò precium redemptionis (neq; verò pane & vino, sed pretioso sanguine Christi: tanquam agni immaculati redempti sumus) malis, indignis, peccatoribus, atq; ipsi Iudæ datum est, datur & accipitur.*

Anné verò vis quid amplius? Num & illi blaterones sunt Cucule? Num & hi Sancti patres scripturam stolidè intelligunt & interpretantur? Num illi quoq; scripturam stolidè ad commentum suum de corpore Christi in pane latitante, & in os etiam infidelis ingrediente, detorquent? Ego profectò non dubito, te, si quæ sentis, effari

Conser. Orthodoxico. *„ auderes, sine pudore id affirmaturũ. Sic enim socij tui, Patres grandiloquentia sua, & hyperbolicis locutionibus de hoc Mysterio, errori pon-*

rori Pontificio occasionem dedisse nugati sunt. Hæc vestra est erga "
Antiquitatis doctrinam pietas & reuerentia.

De scripto verborum Cœnæ Domini.

CAP. IIII.

DIxerat Cuculus, eos qui Scriptum retineant, necessariò Transubstantiationẽ Papisticam probare. Responsum fuit, si prædicatio esset vsitata & regularis, tum id verum esse, sed nos prædicationem inusitatam & Sacramentalem statuere. Hìc primùm more suo conuiciatur: Tu verò, ait, docta piaque iuuentus, miserere " Pag. 154.
eorum qui eiusmodi sophismata proferunt hoc tam erudito seculo "
(scilicet vbi Cuculi regnant.) Et: Spiritus vertiginis & erroris do- "
cumenta obserua, quòd tibi stolida hæc mendacia perinde obtrudit, "
ac si essent mera oracula. Et rursus: Mirum sanè est, homini tot "
modis Sacramentoso inusitatas videri prædicationes Sacramenta- "
les, sed sic vlciscitur Deus veritatis odium. Respondeo. Quia vltio- "
nis diuinæ meminisse voluisti, quare non cogitabas illud Augustini: De Amicit. cap. 13.
Abiuremus conuicia, quorum vltor Deus est? Aut illud Hieronymi: Nescio qua lingua aut conscientia quis Deum roget, qui aut mentitur, aut maledicit, aut detrahit?

Deinde ad rem responsurus, ait, errorem & mendacium esse fin- "
gere prædicationem inusitatam, cùm hæc distinctio immediata sit: "
omnis prædicatio vel propria est & vsitata, vel figurata, tertia "
nulla est. Respondeo. Venit mihi in mentem Agathoclis Peripatetici fastus, qui ambitiosè gloriabatur, se primum & solum Dialecticum esse: ita Academicus hic Philosophus sibi stolidè persuasit, se solum regularum Dialecticarum, dictatorem perpetuum. Quid in artibus & Philosophia Melanthon præstiterit, nemo ignorat, & grati omnes agnoscimus, exceptis Cuculis, ille verò inter cætera: Vera prædicatio, inquit, aut est regularis aut figurata, aut inusi- "

tata: Cuculus verò ait, omnis prædicatio aut est propria, aut figurata, nulla est tertia, sed Spiritus est vertiginis, & stolidum mendacium Spiritus erroris, qui tertium prædicationis modum confingat, vox est insulsa, & caput helleboro indigens. Anné vides Melanthonem per nostrum latus peti, cuius ille vult haberi obseruantissimus? Si nostrûm quisquam, etiam sine omni conuiciorum acerbitate, tale quid scriberet, ingrati Cuculi & Philippomastyges & similia audiremus. Sed Cuculo, qui & Philippo & Chrysippo eruditione & doctrina superior est, illi, scilicet, licet censoriam virgulam in quosuis sumere, & falcare falcanda, apta, inepta, aptè & ineptè, atque adeò pro superbos super bouem substituere.

Obseruate autem per Deum immortalem, viri Principes, id hominis monstrum, nam monstri aliquid alit. Etenim si hoc tribuatur illi, non esse prædicationem aliam, nisi propriam aut figuratam, tum in propositione: Deus est homo, cùm propria prædicatio esse non possit, quomodo enim disparatum de disparato prædicari posset propriè? sequitur, esse figuratam, ita figuratam incarnationem, figuratam passionem, figuratam mortem & resurrectionem, denique figuratam in redemptionem atque salutem habebimus. Increpet te Deus Sathan. Iam verò & calumniam atrocissimam adijcit: Dixerat Iacobus Andreæ, quemadmodum propter personalem vnionem prædicatur Deus de homine, ita propter Sacramentalem vnionem prædicatur panis de Christi corpore: Sed Deus de homine prædicatur personaliter, propter vnionem personalem. Ergo propter vnionem Sacramentalem panis de corpore Christi Sacramentaliter. Istud argumentum ita inuertit calumniator Cuculus: Qualis est prædicatio, Deus est homo, & homo est Deus, talis est & hæc prædicatio, panis est corpus Christi, & è contra: Sed propter vnionem personalem, homo de Deo, & Deus de homine prædicatur personaliter: Ergo propter vnionem Sacramentalem de

pane

pane prædicatur corpus Christi, & è contra. Ex hoc suo argumento, quod nostrum non est, colligit aliquot absurda, & ingentem conuiciorum cumulum coaceruat, esse scelerate ineruditam probationem, esse mendacium putridum, purulentũ & virulentum, atque tandem sine senatus decreto planè triumphat. Sed æquus Lector hominis malitiam facilè animaduertit. Nam quod D. Iacobus dixerat: Quemadmodum (propter vnionem personalem) prædicatur homo de D E O, ita (propter vnionem Sacramentalem) prædicatur panis de corpore Christi. Cuculus omissa in maiori propositione, prædicationum & vnionis personalis & Sacramentalis specifica differentia, ita maiorem formauit, quasi D. Iacobus eandem rationem prædicationis & vnionis in vtraque propositione doceret, ideo ait: Omnibus modis falsum est, eandem esse prædicationum rationem de persona Christi duabus naturis constante, & de Eucharistia, constante signo & signato. Sed D. Iacobi verba sunt: Prædicatio neque vsitata neque figurata, sed inusitata & Sacramentalis est, quando panis de corpore Christi, propter vnionem Sacramentalem (prædicatur) sicut homo de Deo, vel Deus de homine in Christo personaliter prædicatur. Cuculi ergò scelerate ineruditа, putrida, purulenta & virulenta calumnia est, non D. Iacobi mendacium. pag. 56.

De Consubstantiatione.

CAP. V.

Recte assumit hoc argumentum Cuculus: Non statuit consubstantiationẽ, qui dicit, præsentiã corporis Christi non esse naturalem, sed diuinam & cœlestem. Sed idem nos dicimus. Ergò. 1. Cuculus coccysat conuicia, sibi ipsis (ait) turpiter contradicunt, ex eodẽ pag. 57.

„ ore calidum & frigidum proferunt, & quòd dextra dederant, sini-
„ stra eripiunt. Quid ita mi Cucule? Quia inquit dicitis naturale cor-
pag. 58. „ pus esse in pane, & naturalem præsentiam negatis vos statuere, &
„ quæ ibi sequuntur. Respondeo. Si Cuculo esset tantum cerebri, quan-
tum fastus & ambitionis, posset fortè cernere aliquod discrimen,
inter esse rei, & essendi modum. Iam verò quia ex ambitione non
oculis tantùm, sed & mente captus est, ignoscendum ei erit. Et
quia adeò est stolidus, pingui Minerua agam, & D. Lutheri explí-
„ cationem eum docebo, qui ait: Esse istud acumen non dissimile ei,
„ si quis concludat. Prætor noster non est in rubris caligis in Balneo:
„ Ergo non est in Balneo. Quid verò ô Cucule, si illi plures essent Cali-
gæ? Num verò putas tu non esse Deo alium modum, quo, quod pro-
misit in Cœna, præstare posset, nisi naturalem aut Physicum? An
non ridiculus tibi videbor, si dicam: Christus assumpsit naturale cor-
pus, ergo non alio quàm naturali modo? Sic verò tu ineptis, multæ
enim literæ te ad insaniam redigunt. Non eram huius tam crassæ
similitudinis mentionem facturus, nisi hic homo iumentis similis fa-
ctus esset, quæ non habent intelligentiam, ideo crassè agere cum inep-
to libuit, ne nimis argutum se putet.

Sed addit Cuculus, quare Episcopi Pontificij in Anglia, docti
pag. 58. certè homines, Marianis temporibus, vestris potissimùm vsi sunt
argumentis? Respondeo. Quæram & ego vnum ex te Cucule: Quare
Anabaptistæ vestris argumentis pro absentia corporis Christi à Cœ-
na confirmanda vtuntur? Interea ad id, quod petis, ita respondeo:
Vtrunq; vera præsentia corporis & sanguinis Christi, etsi non pari
vtrinq; ratione asseritur, quid igitur mirum quibusdam no-
stris argumentis pontificios vsus esse? Quod si quibus-
dam abusi sunt vel abutuntur hodie, id ad
nos nihil attinet.

De via

De via Regia in controuersia Eucharistiæ.

CAPVT VI.

TOtum hoc caput nihil habet, ad quod non dudum responsum sit, præter vnicam calumniam. Tribuit nobis, inquit Cuculus, Iacobus Andreæ, quòd Transubstantiationem Pontificiam probemus. Et addit conuicia: Habet iuuentus triste exemplum cæcitatis & mentiendi libidinis in hoc homine. Mirabar initiò, quomodo Transubstantiatio illis tribui posset, qui in actu Cœnæ nihil nisi panem & vinum distribui fabulantur: sed cùm verba inspicerem, calumniatorem deprehendi. Neque enim Transubstantiationem eis tribuit, sed fore ait, si regia via & media ingrediantur, ne vel in hoc, vel in illud extremum peccent, neque vel in Pontificiam Transubstantiationem, vel in Cinglianam significationem, tanquam alterum extremum impingant. Sed à Sycophantæ morsu nihil est tutum, & verè habet iuuentus triste cæcitatis & mentiendi libidinis exemplum in hoc Cuculo. Pag. 59.

Calumniosæ interpretationes.

CAPVT VII.

BLasphemam vocem Cuculi esse, dixerat D. Iacobus Andreæ, qua ex Sacramentis totidem idola nos facere Cuculus affirmauerat. Iam Cuculus sera pœnitentia eorum quæ iracundus exomuerat, ductus, negat, & Diabolicam suorum verborum deprauationem esse ait, atque de plebe se locutum inquit, & quibusdam minus peritis pastoribus, qui veri vsus Sacramentorum ignari, verbi & baptismi minimam rationem habeant, resipiscentiæ verò multò Pag. 60.

» minorem, tamen paschatis tempore, aut cùm moriendum videtur,
» ad Eucharistiam non aliter confugiunt, quàm olim à Philistæis
Præfat. Disput. A. 2. fa. 2. » cæsi Israelitæ, ad arcam fœderis. Respondeo. Primò videantur
ipsius Cuculi verba.

» Quicunq; ait Cuculus, seu Transubstantiationem, seu Consub-
» stantiationem profitentur, Christum mundi Elementis affigunt, &
» ex Sacramentis totidem Idola faciunt. Quicunque, ait. Vbi non de
rudi plebe aut imperitis pastoribus loquitur. Et penes eruditos esto
iudicium. Deinde quis eum censorem & iudicem nostrum constituit?
Quare tam imperiosè ad suum tribunal nos reuocat, qui nullo nomine ei obstricti sumus? Aut cuius spiritus suffragijs id consecutus est, vt alienum seruum condemnet? Istud verò nihil noui est istis hominibus, de nostris enim scripsit Molossus quidam:

Beza. Epist. 70. „ Nempe hic est illorum religiosissimorum hominum zelus, quibus
» religio non est (inquit ille de nobis,) scortatores, ebriosos, fœne-
» ratores, quosuis denique quantumuis dissolutæ vitæ homines ad
» Cœnam admittere, sui nimirum sæpissimè similes. Interea tamen
fratres nos suos & conseruos vocant, & Pontificijs atque alijs nostris infensissimis hostibus nos scelerate produnt.

„ Quòd verò ait, pulchrè scilicet, quadrare: corpus Christi adest
„ realiter vel re ipsa, & adest in Mysterio, & ludum esse dicit.
Respondeo. Ergò ludus est si dicam: Λόγος realiter seu reipsa assumpsit carnem: Et, quòd Verbum caro factum est, est Mysterium.
Quàm stolidus est Cuculus? Quàm in erudite ludit illud iumentum?
Quàm malè confirmauit sua studia? Realiter, ad præsentiam referri, Mysterium autem ad præsentiæ modum, pluries nunc
diximus, quàm Cuculi cuiusquam sint
Coccysmi.

De Ana-

De Anabaptiſtis.

CAP. VIII.

DE hoc capite diximus ſuprà. De ſcabie Anabaptiſtica, vnum ſolùm hîc reſtat: Calumniam, inquit Cuculus, de nudis Symbolis vlciſcetur Deus. Reſpondeo. Quando dicitis nihil amplius in Sacramentis, præberi quàm in ſimplici verbo: quando dicitis corpus Chriſti nunc procul abſens: quando dicitis corporis noſtri nullam in Cœna actionem aliam, præter meram Symbolorum acceptionem: quando dicitis, ideo memorialia panis & vini adhiberi, vt recordatio ſint corporis & ſanguinis Chriſti, reipſa abſentium, neq; enim opus eſſe Symbolis, ſi res ipſa adeſſet: quando dicitis abeſſe, ſinamus donec redeat, præſertim cùm corpore eius nihil opus habeamus: quando, inquam, hæc dicitis, an non nuda Symbola in Sacra Cœna ſtatuitis, niſi quòd nudæ quædam accedant ceremoniæ? Vis vt aliud dicam, audi ergò tuorum verba: Aſſerimus panem & vinum Symbola TANTVM eſſe. Et: Quod rei SVBSTANTIAM & eſſentiam attinet, præter panem & vinũ non QVICQVAM adeſt. Et rurſus: Hunc panem, qui præter panem NON EST QVICQVAM AMPLIVS, &c. Et: Panem & vinum in Cœna hac NON aliud quàm ſigna DVNTAXAT eſſe, docemus. Et quis iam Calumniator tibi videtur Cucule?

Cingl. in Exegeſi.
Cingl. contra Cõfeſſ. Luth.
Idem ad Ciuitat. Germ.

De Metonymia.

CAPVT IX.

CHriſtum in Myſterio verborum ambiguitate ludere voluiſſe, nõ eſt veriſimile: Euchariſtia Myſteriũ eſt: Ergò nõ eſt veriſimile Chriſtũ verborum ambiguitate voluiſſe ludere. Id Ia. Argumentũ eſt. Cuculus proponit forma Enthymematis, & tamẽ negat maiorẽ, ſicut ſuperiorib. annis Moloſſus quidã cõcluſionẽ: ſed iſta iumen-

iumentis illis, quibus non est intelligentia, condonanda sunt. Ad maiorem quod attinet, prouocamus ad ipsius Iurisperitos, an sit viri boni, in Testamentis, ad alendas posteritatis contentiones, verborum figuris & obscuritatibus de industria hæredes ludere. Et „ *valdè stolidum est, quod affirmat: Sycophanticè de se dici, quòd* „ *nomen tantùm corporis tribui pani asserat. Quare enim Metonymiam, nisi hanc ipsam ob causam fingit? ita vt ille quid dicat, nec ipse intelligat, nec Carneadum acumen his quidem moribus, vnquam consequuturus sit.*

De rei signatæ participatione.

CAPVT X.

Sæpè miratus sum improbitatem Caluinistarum, quòd nos Cyclopes, & Cœnam Domini Cyclopicam dicere non erubescerent, iam autem quid voluerint, intelligere mihi videor. Dixerat Cuculus alibi: Corpus Christi nunc nusquam nisi in cœlo esse: iam cùm de „ *Sacramentali, non spirituali manducatione, sermo nobis est, dicit:*

pag. 63. „ *Furere Iacobum Andreæ, qui neget, se veram rei signatæ cum signo participationem agnoscere. Et quidem de Polyphemo, quantus eius oculus fuerit Vergilius canit: Argolici clypei aut Phœbeæ lampadis instar. Quale autem & quantum ei os fuisse credas? Neq; tamen puto eum simul cœlum & terram prodigioso ore comprehendere potuisse. Quid igitur de Caluinistis fabulatoribus dicemus, qui tale os fingunt, quod signum & signatum simul accipiat, quorum illud in terra, hoc in cœli certo loco subsistat perpetuò? nam de fidei manducatione inter nos non controuertitur, vt ad eam referre velint aut possint. Est tamen quod hîc respondeamus.*

pag 64. „ *Mirum est, inquit Cuculus, Aristarchum hunc (Præceptorem* „ *suum pungit) non intelligere, quàm absurda sit promiscua harum* „ *vocum vsurpatio, in, cum, sub: nam quod sub aliquo est, non est in*

eo, &

eo, & quod in aliquo est, non est sub eo. Istud verò ô Cucule bene: Vidit Dominus Nathanaelem sub ficu, non in ficu. Et: Iesus docuit in templo, non sub templo: quid ergò respondebimus? Venit mihi hîc in mentem faceti cuiusdam hominis factum in vrbe quadam Imperij non procul hinc dissita. Is vocatus per publicum ministrum, in crastinum in curia comparere iussus est: summo manè tegulis effractis in summitate tecti apparuit: quærentibus causam, respondit: iussus sum comparere auff dem Rahthauß: videtis quantum intersit, ne promiscuè vsurpentur istæ voces. Attamen liceat mihi vnum quærere ex Domino Cuculo, quare scriptura dicat: Christum esse Deum, & Deum esse in Christo? Quare scriptura dicat: Christum sedere ad dexteram Dei, à dextris Dei, in dextra Dei, num & hîc insulsa sit Spiritus sancti promiscua illa Syncategorematum vsurpatio? Deinde de Patribus quid dicet, qui promiscuè his vocibus vsi sunt, num Cucule Aristarchicè etiam insulsitatis ipsos accusabis? Præterea ô Cucule, tui promiscuè his vocibus vsi sunt: Panis est corpus Christi: cum pane est corpus Christi: sub pane est corpus Christi: an ne etiam, ô Aristarche, tui homines, doctissimi illi, insulsi tibi sunt, & vt concludam hunc locum, gratias tibi debemus Cucule, qui fateris, nos promiscuè has voces vsurpare, qui aliâs nodum in scirpo quærens, vocem IN exagitas, quasi corpus Christi in pane credamus, sicut infantem in cunis, aut vinum in cantharo.

Rom. 9. 2. Cor. 5.

De manducatione infidelium.

CAPVT XI.

INitiò sua argumenta aureas & inuictas demonstrationes, nostra autem siculnea sophismata ipse quidem appellat. Et sanè aurea esse argumenta, si stipendia quibus ille conductus est spectes, non negamus, sed quàm sint inuicta, & an Adamantinus homo, adamantinis & inextricabilibus, quasi Vulcanianis vinculis nos illigarit, id nunc videamus: & suam quidem sententiam tali syllogismo propo-

Pag. 64.

nit ipse: Simpliciter impossibile est, non viuificari eos, qui manducant Christi carnem: & bibunt eius sanguinem, sicut etiam simpliciter impossibile est, viuificari eos, qui non manducent Christi carnem, nec bibunt eius sanguinem. Atqui nemo infidelium viuificatur, sicut nemo fidelium non viuificatur. Ergo. Argumentum eruditum, aureum, inuictum, & quod Cuculus (nisi fallor) sibi solui non patietur. Conabimur tamen aliquid, fortè vix plumbeum erit, imò ne luteum quidem aut stramineum.

Aut enim loquitur Cuculus de manducatione spirituali, de qua Ioan. 6. aut de Sacramentali. Si de priori, cum quo contendit? aut quem habet aduersarium? certè sine scopo iaculatur, nam totum argumentum concedimus & approbamus, cùm de spirituali & fidei manducatione nulla sit pugna. Si verò de Sacramentali manducatione accipienda sint, Maior simpliciter falsa est. Primò enim, si simpliciter impossibile est, non viuificari, qui non manducant carnem Christi, & bibunt eius sanguinem Sacramentaliter, tum non sola fides, sed solus Sacramenti cœnæ Domini vsus nos saluos faciet, sine quo viuificari posse (ait ille) est simpliciter impossibile. Ita pueros, & qui inter Turcas, Pontificios, &c. inuiti etiam degunt, etsi habeant agnitionem mediatoris Christi, & vera fide præditi sint, tamen simpliciter impossibile est illos saluari, nec enim per impossibile viuificari possunt, nisi Sacramentaliter manducent corpus, & bibant sanguinem Christi, siquidem has nugas Cuculi pro diuinis oraculis amplectamur. Et quis hîc absolutam necessitatem Sacramentis tribuit Cucule? Deinde simpliciter falsum est & alterum membrum Maioris, quo dicit, simpliciter impossibile, non viuificari eos, qui manducant Christi carnem, & bibunt eius sanguinem. Nam quòd ait, non posse quenquam esse simul membrum Christi & meretricis. Respondeo, verè id dicitur, nec enim quisquam nostrûm docuit, ideo impœnitentes Christi membra fieri, sed potius reos corporis & sanguinis Christi esse, quæ in iudicium accipiant, quemadmodum

& Au-

& Augustini testimonia in eandem sententiam intelligenda, alibi dictum est. Et ridiculus est Cuculus, qui dictum Christi Ioan. 6. huc accommodat, cùm etiam ipse Caluinus, ad spiritualem manducationem referendum velit, & ineptos iudicet, qui de Sacramentali manducatione accipiant, sicut suprà ostensum est. Quòd verò ait: In æternum hoc Theorema stare: vis viuificandi à corporis Christi communione separari nequit. Respondeo. Non separatur ideo vis viuifica à corpore Christi, quòd eam in impijs non exercet: nam & in agentibus naturalibus pro diuersitate subiectorum, diuersæ sunt operationes, & effectus vnius agentis. Vnus & idem sol suo calore indurat lutum, liquefacit ceram, in luto non separatur vis liquefaciendi ab eius calore, nec in cera vis indurandi, nec tamen hæc in illo, aut illa in hac sese exerit & ostendit. Quantò verò magis in Christo, qui est agens non naturale, sed voluntarium & liberrimum? Et quid quæso ô Cucule est, quòd Augustinus dicit, Deum esse vbique, sed non vbique habitare? si vires, vim aut potentiam amittit, qui non exercet, num Deum in impijs exues maiori parte (vt sic loquar) potentiæ? Pag. 66.

Istud autem notatu dignum est, quòd ait: Paulum nusquam docere, impœnitentes seu infideles corpus Christi manducare, sed eos tantùm, qui castigentur, ne cum hoc mundo damnentur, quod de infidelibus non possit accipi, cùm illi nisi resipiscant, certè pereant. Pag. 66.

Hactenus enim non in voce (indigni) sed vt plurimum (corporis) effugium sibi patêre, crediderunt Caluinistæ: ideo dixerunt, (spreti corporis) quemadmodum qui Cæsaris violat statuam, læsæ Maiestatis reus habetur, (quam similitudinem ab Anabaptistis illi mutuati sunt) etsi ipsum Cæsarem non læserit. Cuculus nobis nouum adfert coccysmum. Verùm iam dudum à suis etiam explosus est, sic enim Caluinus, cùm de digna & indigna manducatione Pauli dictum interpretatur, ait: Si ritè vis vti beneficio Christi, fidem afferas & pœnitentiam: si ergò hæc digna erat 1. Cor. 11.

» Corinthiorum præparatio, quid indigna esset communicatio quis non
» intelligit? Et rursus: varij sunt gradus indignitatis, & aliqui grauiùs,
» aliqui leuiùs peccant. Ingerit se quispiam, scortator, vel periurus,
» vel ebriosus, vel fraudator sine pœnitentia &c. Ex his apparet, de
» quibus Paulus loquatur (etiam tuorum testimonio) & expressè fa-
» tetur Caluinus: Paulum ab hypothesi Corinthiorum digressum in
» doctrinam generalem (hæc eius verba sunt) vel ab vna specie ad to-
Annotat. no. Test. 1. Cor. 11. tum genus. Beza autem quid spirat? Verbum (dijudicaremus) ait, nihil aliud esse, quàm in nos ipsos inquirere, nostra scelera damnare, fide deniq; & pœnitentia nos à profanis secernere. Et rursus: Vox illa (seipsum) habet emphasin, inquit, ne quis fidem implicitam somniet, aut ab aliena fide pendeat. Ergò fide & infidelitate dignitas vel indignitas probatur.

Pag 67. Calumnia autem est, quòd tribuit nobis, quasi ipsa per se participatione, & ipso vsu, vt loquitur, reos fieri doceamus. Et ipse Cuculus nos excusat, vi veritatis adactus, dum ait: Dicitis reos fieri, quia non di-
» iudicant corpus Christi. Etsi enim non spreti tantùm, sed manducati
» corporis rei sint, edunt enim sibi & bibunt iudicium, vt Paulus inquit,
» tamen non ipso vsu, sed abusu reos fieri, profitemur.
» Quod verò addit, qua fronte corpus Domini manducare & san-
Pag. 67. » guinem eius bibere illos dicamus, quos Paulus panem edere & è pocu-
» lo bibere affirmet, cùm Metonymiam negemus. Et quàm probè tibi
» constes, ait, anné vides? Respondeo. Imperitiæ tuæ ô Cucule aliquid tribuendum est &c. Si enim studia tua confirmasses solidius, & quid Sacramentalis vnio esset, didicisses, nunquam tam stolidè, nec tu quæsiuisses, nec nobis insultasses. Hactenus de vndecim illis capitibus. Vnum restat, dixi de Cuculi ingratitudine: Ne autem eandem reprehensionem ego incurram, conuenit me beneficij accepti non esse immemorem. Scripsit nuper quidam, seu Cuculus seu Gallograculus consolatoriam. Etsi autem multò satius fuisset, si eos potius consolatus esset, qui Tortodoxi Consensus interitum lugent, aut qui iam dudum dolent,

dolent, nec animi nec virium tantum esse Caluinistis, vt Iesuitæ Ingolstadienſi tandem respondeant, aut conseruos etiam suos, (vt vocant) quos Caluiniana fide, sine causæ cognitione, in legitima synodo nec auditos nec condemnatos, cum vxoribus & liberis in exilium eiici curauit, tamen quia nos mirificè recreatos esse, nihil dissimulamus, ad consimilem planè modum, quo moriones ad principum mensas hospites nobilissimos reficiunt, age, vt aliquam grati animi significationem habeat, ingens mysterium ei pandam. Dixi de Cuculo. Autor autem est Plinius, quòd quo quis loco Cuculum coccysantem primò audiat, si dexter pes circumscribatur, ac vestigium illud defodiatur, non gigni culices, vbicunq; spargatur: & illud miraculum esse ait Plinius. Iam cùm, vt Graculus Graculo, ita Cuculus Cuculo perpetuò assideat, quin primus coccysmos hos eius audierit, nullum mihi est dubium. Si itaq; dextri pedis vestigium obseruauit, circumscribat, defodiat, spargat. Etsi enim culices Graculo magis quàm pulices infesti sint, tamen, nisi fallor, vt vocum harum magna est cognatio, sic vtrumq; malum eodem remedio curabitur.

Ex his verò quæ commemorata à me sunt hactenus, mi Cucule, luce etiam meridiana clarius apparet, quanta sit tua, & quàm portentosa in Præceptores pietas, quæ & quanta tua in dictis & pactis fides & constantia, vt leuissimi transfugæ instar, nunc harũ sis, nunc illarum partium, cuiuslibet causæ patronus, mercenarius, & vbi spes lucri affulgeat, aut fastus & ambitio transuersum te rapiant, mox de toga ad pallium, & rursus subitò alius, rudentes & remos cum armis commutes. Et quod alijs tribuis, tu verè agis, è calcaria in carbonariam decurrens, pro eleganti medico, malus Poeta efficeris. Apparet inquam, quanta sit in te homine Theologo Iurisiurandi religio, qua, honorem & obseruantiam non solùm vt præceptori, sed etiam vt Scholæ Cancellario perpetuam, sublatis digitis iuramento solenni promisisti, iam verò ruptis & solutis horribili impietate his vinculis, ventis te ista tradidisse, atque imis (quod aiunt) ceris erasisse omnia,

ostendis, vt Punicam fidem tuam, & iuramentũ Venereum, viri boni meritò detestentur. Apparet etiam, quanta sit & quàm monstrosa erga benemeritos gratitudo tua, qua pro hospitio, honoribus quibus auctus es, atque infinitis beneficijs, Tellenis cantilenas nobis canis, benefactoribus tuis pro perca scorpium, & pro varijs in te officijs, arietis ministerium exhibens, vt ne quidem calabrum hospitem te agnoscamus. Apparet modestia tua incomparabilis, qua conuicijs pluribus nobis insultasti, quam quæ, non dicam vna nauis, sed ne quidem vniuersa Veneta classis vehat. Ita sanè, vt conuiciando Zoylum, calumniando Patacionem, qui propter virulentas calumnias capitis discrimen adijsse dicitur, longè superaueris. Apparet candor tuus, & ingenuitas, qua vt tragulam inijcias, atq; in transennam simplices inducas, nostra nunc prætereundo dissimulas, nunc corrumpendo vicias, nunc in alienum & peregrinum sensum detorquendo deprauas, & vt vno verbo dicam, vbique Sycophantam agis. Apparet tua rerum omnium simulandarum & dissimulandarum admiranda industria, & singularis dexteritas, vt Pharisæorum Princeps aliquis, & hypocritarum Coryphæus meritò dici possis. Et qui te Præceptore, si cui mercenariam in docenda hypocrisi operam collocare velis, nihil profecerit, næ is Arcadicum germen, & Asinus ad tibiam fuerit.

Neq; verò ideo hæc à me recitata sunt, vt aut dentem dente rodere, aut erabrones etiam amplius irritare velim, omnium verò minimè, vt lutum luto purgaturus, scurrilibus concertationibus tantoperè delecter. Nam & mihi (vt scias) nec animus nec ocium est cauillationibus vestris tempus terere. Sed partim vt ostenderem, non te eum esse, qui in viros bonos stylum maledicum stringere debeas. Nam vt ille dixit: carere debet omni vitio, qui in alium paratus est dicere. Partim verò ne linguæ petulantiam istam effrenem, planè ferres impunè, atq; adeò ex insolenti, insolentior etiam fieres. Quòd si vehementia (si quæ est) mea tibi non probatur, memineris, me tantùm tuis laudibus te ornasse, & tua tibi reddidisse conuicia, vt quod in alio non

possis

posßis (turpitudinem illorum dico) in te ipso animaduertas. Desine igitur posthac bonos petulantißima lingua consectari, desine morbo isto procacitatis uti, desine unumquemque tuis moribus æstimare, & poteris in pace, si velis, facere officium, sin minus, operam dabimus, ut si voluptatem maledicendo aliquam percipias, eam ut malè audiendo rursus amittas. Scripsi Stutgardiæ 4. Ianuarij, & cùm Dei beneficio nouum exorsi annum simus, Cuculum & Graculum duodecim artium Doctores, admonitos volo, ne porrò Syßphi artes profiteri, & hoc nouo anno ut superioribus elapsis, conuicijs, calumnijs, & mendacijs, quasi ad Aristophanis laternam operam dare velint: id enim ni si fecerint, nullum à nobis porrò expectent responsum, ne dum stultitiæ ipsorum nimis sollicitè consulere velimus, & nos tandem penè stolidi quibusdam videamur.

Errata sic emendanda.

Prior numerus Paginam, alter lineam denotat.

Pagina 11. linea penultima pro nos, lege eos. 12. 16. nec 13. 16. dicant. 14. 5. quid. Ibid. 14. 11. pater. 16. 4. sentinæ. 20. 15. circumdatam. 25. 3. astutè. 26. linea antepen. leptologias. 28. 8. ferendos. 32. 4. antipelargisin. Ibid. lin. 8. treptiria. 34. 1. Ethnica. 36. 4. ipso. 43. 3. odij. 50. 6. tam. 65. lin. penult. discederet. 77. 14. Lysiam. 79. 16. idem. 81. 3. Tellis. Ibid. lin. penult. respondit. 88. 5. post quod, inseratur, de. 91. 23. 27. & antepen. vindicanda. 93. 17. respõsum est. quod & insequentib. paginis obseruandum est, 98. 20. fierent. 100. 19. falsam. 102. 2. sumpta esse. 105. 16. verba. 106. 4. alium. 106. lin. pen. voluit. 107. 9. ipsi. 122. 26. vsos. Sunt & alia plura errata Orthographica, sed quæ lector candidus facilè emẽdare possit, sicuti nec difficile ei erit, si alicubi distinctiones, præsertim in capite de hypocrisi, non accuratè obseruatæ sint, id animaduertere atque corrigere, si initiò theses, & cum his antitheses contulerit.

Toruniensis
BIBLIOTEKA ELBLĄSKA
Ob. 6. II. 3068